JULIUS SECUNDUS.

DIALOGUS

Anonymi cujusdam *Authoris* festivus sane ac elegans.

Interlocutores	JULIUS. GENIUS. S. PETRUS.

Lector, risum cohibe.

Dialogo præfixum est ab Editore *Colloquium*, Dialogistæ, qua fieri potuit, *Exquirendo* destinatum: Quem *Magnum* illum fuisse ERASMUM, tam Rationibus, quam Testimoniis efficitur.

Julio Secundo accessit *EUCLIDES CATHOLICUS*, Rom. Ecclesiæ Fidem non minùs lepide Demonstrans, quàm Mores Artesque Rom. Pontificum graphice depinxit Erasmus.

OXONII.

MDCLXXX.

Mandat porro Pontifex (nempe Hadrianus sextus Francisco Cheregato Fabrianensi Episc. Publicis Comitiis 25. Novemb. an. 1522. Norimbergæ habitis Nuncium agenti) *ingenue ut fateatur ex Peccatis hominum, maxime* Sacerdotum & Præsulum, *natam hanc Rerum* perturbationem : *etiam in ipsa* Sancta *Sede ab aliquot annis* abominanda pleraque *perpetrata, multos fuisse* abusus *in* Spiritualibus, *multos* excessus *in* Præceptis ; *denique omnia sic in* deterius *mutata, ut Lues a* Capite *ad* Membra, *a summis* Pontificibus, *ad minores* Præsules *devergens, latè se diffuderit, ac* vix unus aliquis reperiatur rectè faciens, atque ab ea tabe immunis. *Hæc ab ipsius Nuncii Ephemerida transcripsit Petr. Suavius (sive Sarpius) in Hist. Concil. Trid. lat. red. pag.* 20.

Quæ tunc facies Sanctæ Ecclesiæ Rom. quàm fœdissima ! cum Romæ dominarentur potentissimæ æque, ac Sordidissimæ Meretrices, quarum Arbitrio mutarentur Sedes, darentur Episcopi, &, quod auditu horrendum, & infandum est, intruderentur in Sedem Petri earum Amasii Pseudo-Pontifices, qui non sint nisi ad consignanda tantum tempora in catalogo Romanorum Pontif. Scripti. Baronius *ad An.* 912.*Num.* 14. *Lit.* D.

Et paulo post. *Qualesnam reris delectos ab hisce Monstris Presbyteros, Diaconos, & Cardinales fuisse putandum: cum nihil tam naturæ insitum sit, quàm unumquemque sibi Similem generare.*

Dormiebat tunc plane alto (ut apparet) sopore Christus in navi —— Et, quod deterius videbatur, deerant qui Dominum sic dormientem clamoribus excitarent Discipuli. —— Et optasse hos omnes Dominum dormiisse semper, & nunquam in Judicium surrecturum. Baron. ibid.

Deus Æterne, *nisi* vigilares, *quam* male *esset* Mundo, quem Regimus *nos; ego miser* Venator, *& ebrius ille, & Sceleratus* Julius. Maximilianus *Imp. referente* Prideauxio.

Ad

Ad IULIUM II. *Redivivum*.

I Re vel optares tecum tua *Facta* sub *umbras*,
Sed *purgatrices* passa nec ista *faces*:
Sordescis post *Fata* Ligur, nam *Julius* exis
A *prelo*, in *Cathedrâ* qui modo *Cæsar* eras:
Has lego dum *chartas*, sileant *Diplomata* Juli,
Cedit *Colloquio uel tua Bulla* tuo.
Hic *falsum* Te Roma Patrem, *verumque* Nepotem
Te videt *incesto* Sixtus ab usque thoro.
Teque *triumphanti* victrix Bononia *plorat*:
Te gravior *Venetis* nulla *Procella* vadis,
Te *præsente* nequit *rubros* gestare Galeros
Rubra Cohors; *flatu* stantque, caduntque, tuo
Tu *Mare* turbasti totum *Piscator*, & *undis*,
Non pariter *Petræ*, par tua nota *Fides*.
Gallia Te *Pestem* sentit, Ferraria *Vulpem*,
Si tibi det *Nummos* hæc, dedit illa *Lucem*.
Quæ jam cura *Gregis*! morbo, scabieque laboras,
Dum *Pastor* fœdas *fœdior* inter oves?
Quin Tu pone *pedum*, Pastoris & exue *Nomen*;
Cum fueris notus *Vir* Gregis ipse *Caper*.

Ad Julium.

Quid juvat hoc strepitu *Sedes* turbare *quietas*?
Vin', simul ut *trepident* motibus *Astra* tuis?
Martyriis Venetûm *Cœlestia* Tecta *replêsti*;
Carnifici credis posse *vacare* locum?
Clave, *errante* licet, *certe Petrum* esse probasti
Petram; blanda nihil verba minæve *movent*.
Sedes linque *pias*; agnoscat *adultera Roma*,
Astra, vides renuunt Te *Dominũ* atque *Deum*,
Attribuit *Latio* Terrarum mensor *Avernum*;
Juli, *hunc*, cum nequeas *Sidera*, jure *petas*.
Triplicis *hic* dominum *Mitræ* triplici *ore* salutet
Cerberus; *hic* charas det quoque *Plutus* opes.
Non erit *Hæreticus* tibi nunc metuendus *Erasmus*,
In *luce* tantis qui trahat ex *tenebris*.

JULIUS.

O Cyus huc *rapidis* exercitus advolet *Alis*,
Effundant *turmas* nunc mihi castra *meas*.
Julius ille ego sum, *gladio* qui clave *patentes*
Efficiam, *claudis* quas modo, *Petre*, fores.
Addantur plures, *solidis* licet, orbibus orbes,
Cingatur *vallo* pallida Luna *novo*.
Disrumpam *implicitos* Bombardæ *fulmine* muros,
Et cedent *flammis* Sydera victa *meis*.
Disrumpam, —— *perii* quis me male perdidit ictus?
Quam longè à flammis Sydera *tuta* meis?
Ah, video, *sævus* quam ridet *Erasmus* acerbum;
Crudeli *Cœlos* abstulit ille *joco*!
Quin *novus* insurgit, novus *acrior* instat *Erasmus*,
Cui videor, vel *sic*, non *satis* esse miser.
Siderea mihi nempe parum est excludier *Aula*,
Ni quoque *Sulphureum* deprimar usque *Lacum*.
Quam *metuenda* *Sago* *toga* fit, quæ *carcere* claudit
Æterno victos imperiosa *Duces*?
Pontificem supra *scandit* Doctrina *Supremum*;
Sola regit *Cœli*, sola *Erebique* fores.
Quid non *docta* manus valeat, plus *Clave* potenti,
Plus *gladio* plumam quæ *valuisse* facit?

In

In Dialogum, Erasmianum *fuisse, jam tandem deprehensum:*

F*Ratrum* turba *Nothis* petulans perstringat *Erasmū*;
Illius, hæc Proles est *Genuina*, Patris:
Imbelles Monachos gracili modulatus *Avena*,
Inde tonis *Tragicis* Arma *Papamque* canit:
Bellatorem acris sternit sub Acumine *Pennæ*;
Et Calami *Mucro* plus valet *Ense* Papæ:
Cernitur en *multi* modo clarus *honore Triumphi*,
Doctos post *Currus*, Julius *ipse*, trahi.
Clavigerum ludunt *Claves*; Cœlique *patentes*
Dans *aliis*, *clausas* invenit *ipse*, Fores:
Sedantique *breves*, quos ipse *accenderat*, Ignes;
Addidit *æternos* altera *Docta* Manus.

Julius *Acta* refert sua (*Cæsaris* instar *Iüli*)
Solus, qui *Gessit*, *Dicere* dignus erat.
Papa quibus *vivat*, Mores, quibus *imperat*, Artes;
Mirum, quam liquido hæc *parva* Tabella refert!

Pessime Paparum, ne Sævi *Magne* Sacerdos,
Optima non aliter *Fabula* factus eras.
Nempe bonum *Cathedra* nec te quis dicat, Iüli,
Te neque *Colloquio* dixerit esse *malum*:
Moribus orta *malis* sic Lex *bona*; sic tua, *pulchrum*,
Larvalis Facies cernitur, *Artis* Opus.
Plus nihilo *Ænean* laudavit Musa *Maronis*,
Heroem Cæcus *Mysta* vel ille suum:
Nobile quam, Juli, te *nobilitavit* Erasmi
Ingenium (*Mundus* Nobile *siquod* habet.)
Nempe *tibi* Calamo, quò Cœlum *occludit*, eodem
Notum de *Vitiis* Nomen ad *Astra* vehit:
Luce sed *Æterna* donavit & *Alter* Erasmus,
Æternas meritum dum premit in Tenebras,

Super Diologo bene prolixo, breve Colloquium, Diologi potissimum Authori rimando destinatum. Colloquentibus Critobulo, Bibliopola.



CRit. *Isthæc*, (*ni fallor*) Bibliopolæ *quem quæro*, *nova est* Officina. *Nec illum tamen intus aspicio. Verum*, apertis *foribus, non prodiisse eum* foras, *sed* intra *se in Domum recepisse*, *autumo Heus*, *hui*! *ubi ubinam ille est qui hic habitat* Magus? *Opportune admodum salutandus ades*. Bib. *At num, quod detonantem modo inaudivi*, Magi *Nomine*? Magoïne *quæso*, *inter* Bibliopolas, *præsertim* Oxonienses, *quærendos censes*? Crit. *Imo & inveniendos*; *te saltem, qui Voti sui compotem fecisti* Julium: Atque nunc quoque (*inquit pag.* 7.) utinam Magus aliquis me in vitam restituat. *Te* (*inquam*) *qui* lx. prope supra c. jam annos mortuo, *hoc illi tandem præstitisti* Officium, *quid quæso* Mago *minus suspicari queam*? Bib. *Ipsum sanè Julium*, Luciferi *permisimus* Generalem *agere apud Inferos* Vicarium; *utpote huic multo aptiorem* Muneri, *quam* vicibus *istis*, Spiritui Sancto *propriis*, Christi *in terris gerendis*. Dialogo *solum* (*si bene unquam apud* Nostrates) *noto, oblivione saltem non* longiori, *quam* altiori *sepulto*, è tumulis *suscitando, recentique*, (*qua dignus est*) vitæ *restituendo operam* (*eamque sàtis* honestam) *impendimus*: *Verum si quid* Magica *valerem* Arte, *te* Δαίμονα *plane* Criticum *meum jam infra* circulum *nactus*, *quot vexato Questionibus* Re*sponsa tibi extorquerem*? Crit. *Consulturus fortean, ut* Hermolaus *olim* Barbarus, *nactus colloquium* Dæmonis, *quid sibi velit* Aristotelis Ἐντελέχεια? Bib. *Imo ne latum quidem Pedem* Dialogi *Pomœria consultando transgressurus*, *quem è* Preli *utero* (*ut in humanis etiam fit Partubus*) lachryimantem *expressum, detersa nondum* facie, *ad tuas* (*vere mihi* amicissimas) *transmisi manus*. Crit. *Ast ego vel sic* lepidam *Libelli* frontem *subridens primum intutus, avidis*

mox

mox oculis Totulum *devoravi*; *cum* Gaudio *legi*, *absque* Tædio *relegi*. *Ac proinde cum*, *Amicitiæ nostræ* Vinculis, *tuorumque in me Officiorum* obligationibus, *Vim quandam plusquam* Magicam *haud* invitus *inesse sentiam*, *tuum esto* percontando *praire*. *Ego*(*qui plane* Davus *sum*, *non* OEdipus, *quem velles*, *Criticus*) respondendo *sequi adnitar*, *quoad potero*. Bib. Immerito *prorsus hac facta* mihi *gratia*. *De* Dialogo *imprimis* sic perlecto *quanam tua est* sententia? Crit. *Plane optima*: Nigrum, *ut aiunt*, *suo* Rubro (*quod Librorum paucissimis* nunc dierum *editis contingit*) *per omnia* respondens *reperi*; *Dialogum scil*: festivum *totum*, *ac* elegantem; *Summique Pont*. *Rom*. Genium, *atque* Ingenium, *Vivendi* Mores, *Regnandique* Artes, *parva in* Tabella *non* obscure *adumbrata*, *sed* vivis, *quod ajunt*, *coloribus omnia* adamussim *descripta exhibentem*: *atque adeo aliis* Cordi, *tibi* Commodo, *futurum auguror*. Bibl. *Imo* mihi *maxime futurus est* Cordi, *si* & Commodo: *Cor enim est* Bibliopolæ *Commodum*. *Salva res est*. *Verum Nascentis recens Bibliopolæ cum primum*, *uti par erat*, *consuluisti* jam paucis *Commoditati*; *Curiositati*, pluribus *satisfaciendæ proximus detur locus*: *Quo tempore*? *qua occasione*? *quo denique ab Authore conscriptum existimas Dialogum*? Crit. *Arduis hisce in Critica Quæsitis*, *quo clarius satisfiat cumulatiusque*, Erasmi *Epistolas*, *suis subductas sedibus*, *huc mihi adporrigito*. *Ex istis enim*, insitisque *ipsius* Dialogi Criteriis, *me*, *tanquam ex* Tripode, *postulatis tuis responsurum spero*. Bibl. *Vin' utrumque Volumen*? Crit. *Primum* (*edit. Flesheriana*) *omnes habet Erasmicas*, *nostroque igitur sufficiet Instituto*. Bibl. *Primum en tibi Volumen*. Crit. *En tibi vero ex lib*. 12. *Ep*. 1. *Quæsitis duobus primis ut simplex*, *ita* & *breve Responsum*: Is (*Dialogum intelligit*) ut ex Argumento satis constat, scriptus est odio Divi Julii Pont. Max. (*Occasionem vides*) Schismatis tempore: (*schismatis scil*. illius, *ut Julio vivo orti*, *ita* & *mortuo aliquandiu manentis*; *ut utrumque satis liquido ex Dialogo patet*.) *Scribendi* Tem-

 pus

pus (*Vivente enim adhuc, an mortuo demum Julio scriptus sit, nihil habemus satis explorati*) *minus licet* definitum *agnosce*. Bibl. *Agnosco, & gratulor: magis adhuc de* invento *itidem* Authore *gratulaturus*. Crit. *Hic* labor, *hoc* opus *est*. Aliorum *primo Sententias ex* Erasmo *referam, dein perpendendam prolaturus* & meam. Bib. Utrisque *interim Auribus* arrectis *auscultaturus adsto*. Crit. *Quin* &. Oculis *etiam attende, quæ præ oculis est*, Epistolæ. Quidam (*inquit Erasmus*) restabantur, Hispani cujuspiam esse, sed suppresso nomine; Rursus alii Fausto Poetæ tribuebant; Alii Hieronymo Balbo. Bib. *Harum vero quænam tibi arridet Sententia?* Crit. Nulla *hercle* omnium *mihi placet: nec* Erasmo *etiam* referenti *placuisse* ullam *credo, licet* alios *ita credidisse illi tunc temporis perplacuisset forsan maxime*. Bibl. *Eo autem enixius* animi tui *hac in re Sententiam expecto*. Crit. *Mihi sane* Erasmus *ipse pro* indubitato *habetur* Authore. Bib. *At quibus ducto* Argumentis? *Mihi equidem non desunt ad* credendum *valida;* Jucundum *scil.* & (*Potentius adhuc* Bibliopolæ Topicum) *Utile*: Togatæ *enim quisnam* Gentis tanti *securus Authoris*, Insolentis *adeo Argumenti Dialogum*, quantivis *redimendum non putaret? mihi ergo ad* credendum *ut vides paratissimo, quænam tibi Rationum Momenta ad* probandum *suppetunt?* Crit. Nec paucis *nitor, nec* levibus *conjecturis. Principio* Dialogorũ Ἀρχιτέκτων *quem superius, hoc nostro, novit seculum pene* solus, *longe* maximus, *erat Erasmus. Deinde* hujus *Dialogi Authorem* ^ *nec totum* Protestantium *partibus* ificiorũ totum, *addictum, sed* Semi-Papistam *fuisse, luculenter satis ex* Dialogo *patescit: Talis vero* & *ipse olim* erat, *hodieq;* pingitur *Erasmus. Rursus acriter admodum, oblique licet, in* Monachos *tam* Franciscanos, *quam* Benedictinos, *invehitur Dialogista: Seculo autem* (*quo floruit*) *proxime elapso quis, quæso*, Monachorum Μάστιξ *plane* Malleusq, *præter Erasmum?* Nec *in* Monachos *solum, ut par erat, sæpe* liberius, *sed* & *in* Monarchas, *quam par erat*, licentius *semel locutus, nempe prioris edit. pag.* 14 (*tua enim* prudens *dispunxit:*) *etiam inde satis se prodit*

A thor

Author vel Libera *jamjam oriundum* Repub. *vel sub id saltem, cum oriundus erat, tempus in Libertatem se asserendi, Armisque etiam vindicandi, ansam sedulo meditante*; *Talem vero fuisse Erasmo* Patriam *nemo ignorat, nisi quis forte, sciens Erasmum*, Roterodamum *nesciat. Porro Dialogi scribendi* Occasionem *ipse* (*qui optime omnium novit*) *asserit, in Julium fuisse Authoris* Odium: *Eorum autem omnium, qui* Papæ *nuncium plane non remiserant* (*dignique utcunque erant in minimam* Competitionis *hujus partem cum* Erasmo *venire,*) *cedo, si potes, quempiam adeo exacerbati odio in* Julium *animi ac ipse erat Erasmus. Hoc tibi quo constet luculentius, consule adnotatas ad marginem Epistolas, quarum omnes ad Verbum Locos eo spectantes huc transcribere longius esset, quam ferat brevis quod instituimus Colloqui ratio: Loci tamen* unus *atque item* alter, *unde* novæ *etiam desumendæ sunt conjecturæ, tam levi* digito *ad marginem scil.* indigitando *non sunt prætereundi. Primus occurrit lib.* 29. *ep.* 9. *ad* Bullidianum: In præsentia quidem, in Italia mire frigent studia, fervent bella; Summus Pontif. Julius belligeratur, vincit, triumphat, planeque Julium agit. *Præter* Dicterium *satis* aculeatum *in* vivum *etiam* Julii *caput vibratum, data est Ep.* Bononiæ 15.*Cal. Dec. An.* 1506. *eo* Loci, *& sub id* Tempus *quibus, splendidissimus agebatur à* Julio Triumphus, *tantopere ab eo in Dialogo* decantatus; *ex quo autem* spectato, *Erasmum, ni fallor, incessit Dialogi scribendi* Impetus; *quo vero non ita multo post revera* Scriptum *auguror* (*in istam enim parte*, Voti *propendet, si non &* Judicii *pondus, Julio adhuc* vivo *fuisse conscriptum.*) *Et in Epist. ad* Campeg. *Card. primū præfata* (*cui valde etiamnū te intentum video*) *dat. an* 1519. *Cal. Maias.* Ante (*non quā* multo *ante*) 5. annos *subdolus dicit Erasmus* se degustasse potius, quam legisse: *Nēpe* suum *ipsi Dialogum nihil erat* Legendi opus: *Sin suus* reipsa *non fuisset* (*sic notum est scil. Erasmi Ingeniū*) *cū semel* degustasset, *ausim dicere, sibi ab eo iterum atque iterū legendo* (*plusquā egomet mihi*) *se neutiquam temperare potuisse, utpote* eo-

Lib. 2. ep. 1, 18.
Lib. 8. ep. 1, 17, 24.

eorũ nulli quos pro suis agnovit, ullatenus concessuro. Ad Buslidianũ autẽ illud haud leviter animadvertendũ velĩ, Belligeratur Julius: Belligeratur, forma Deponenti, pro belligerat: qua & usus est Dialogista, p. 27. Hæc vero Verbi illius forma (Erasmo ut peculiaris, ita & perquam familiaris,) nulli, cujus memini, aut Classicorum veterum, aut etiam Recentiorum purioris, cum Erasmo, Latinitatis Magistrorum, ullo est in usu. Nec inusitata aliis unius solum verbi forma; tota ad verbum pene eadem sententia (in re prorsus eadem) Erasmo cum Dialogista plane est Communis: Quo Major, modo malus etiam, eo perniciosior; hanc Dialogistæ sententiam (pag. 13.) cum Erasmiana illa (Julium etiam oblique vellicante) collatam cupio Lib. 2. Ep. 1. ad Leonem. Quo major est potestas, hoc perniciosior, si inciderit in hominem vel stultum, vel malum. Adeone vero aut Verborum indigus, aut inops sententiarum (utroque, si quis alius, genere locupletissimus) censendus est Erasmus, ut ad (obscuri nescio cujus) Dialogistæ Ostium emendicando quæreret? Bib. Imo illam Dialogistæ sententiam censendum est potius ab Erasmo mutuo acceptam. Crit. Nequaquam; neque hoc patitur Calculus ex ipso Erasmo supputandus. Data est enim hæc ad Leon: Ep. 2. Cal. Mai. an. 1515. aliquot saltem annis, postquam scriptus, est Dialogus. Si Dialogista non sit Erasmus; Erasmus, non Dialogista, Plagii Reus sit oportet. Quin tu Musices haud ignarus attende, quam in eandem dictæ modo Sententiæ Chordam, in Sono pene Συμφωνίαν, penitus in sensu ἁρμονίαν, Erasmus cum dialogista porro colat. E regione frontibus sibi invicem adversis (optime aliequi consentientes) exhibeo Sententias, quo facilius, de Concentu, feliciusque Judicium feras.

Vide

Erasmum l. 2. ep. 1. ad Leon. Leoni simul adblandientem, Juliumque eadem opera Sugillantem.	Dialogistam pag. 27.28. Julium pariter insectantem

Alia

Alii laudibus vehant Bella *à Julio* secund *vel* excitata *gnaviter*, *vel* gesta *feliciter*; Victorias *Armis* pàrtas *recenseant*. Triumphos *Regaliter* actos *celebrent*. Et paulo post: *ut* maximum *declararit Julium* totus *pene* Orbis *in Bella* excitatus.

28. *Gloriaris te plurimum potuisse ad discindenda* Fœdera, *ad Inflammanda* Bella, *ad* Strages *Hominum excitandas*.

27. *At fieri potest, ut Bellorum* Incendium *per te excitatum universũ denique* Mundum *corripiat*.

28. *Qui* orbem universum *ad teterrima Bella* concitarit.

Nunc tuam Bonitatem *magis sentimus*, *cum nobis expressius Christi refers* Imaginem, *cujus haud dubie* Vicem *geris*, *posteaquã ad summã* Bonitatem, *sũmamque* Sapientiam, *par accessit* Potentia.

Ib. *Qui Christi* Vicarium *se facit*, *eum oportet ad illius* Exemplar *quã proxime accedere*. *Est in illo Summa* potestas, *sed cũ Summa* Bonitate *conjuncta*; *est sũma* sapientia, *sed* simplicissima.

Nihil potest accidere Pestilentius, *quã si* Pravitas, *ac* Stultitia, *summi* Magistratus *armetur* Authoritate.

Ib. *In te* potestatis *Imaginẽ video cum summa* Malitia, *summaque*; Stultitia *copulatã*, *Quod si* Malorum Princeps *Diabolus* Vicarium *sibi cupiat* subrogare, *Quem potius asciscat*, *quam* tui similem?

Bibl. Concentum *agnosco multo magis* Symphonicum *quam* intacta *unius* Barbiti *chorda cum alterius chorda ejusdam toni* pulsata *servare solet*. Crit: Eandem *igitur* (*quod huic proximũ est*) *agnoscas* doctam *Manum utrobique præterlabentem Nervulos* diversæ *solum* Chelyos (*pro diverso scil. Epistolæ Decoro*, & *Dialogi servando*) Bibl. *Nec* dulcius *tamen* eden-

udentem Melos *quam hac creare videtur instituta* Sententiarum *utrinque* Comparatio; *quam ideo ad* Serum *usque* Vesperum *utinam & possis, & velis* producere. Crit. Hæc *sane, ad quæ jam Digitum meum, tuumque Oculum, intendi, longe omnium* luculentissima *sunt. Nec desunt tamen alia sententiarum hinc inde communium* obscuriora *paulo* Vestigia, *quibus* Cane *adhuc Critico admodum* Veterano *nihil opus est, ad* Erasmum *Dialogi Authorem* subodorandum. *Repete igitur imprimis, ad* Buslidid. *illum prægnantem* Κεκτημένοις *locum: Julius belligeratur, vincit, triumphat,* planeque Julium Agit. *Istiu tecum una advectiu, Dialogi pag. pete* 22. *quo loci quam tibi similia, ne dicam eadem, occurrunt; vide. Ubi jam Res in eum propemodum Locum deductæ sunt, in quem volebam, supererat,* ut vere Julium Agerem. *Nec* illa *deinde sicco prorsus pede* transeunda *duxi*; Si Judæus ille Medicus (*Personatus ait p.* 7. *apud Dialogistam Julius,* suum *illi merito sic* honorem *deferens*) qui diu mihi vitam Arte sua prorogarat, amplius proferre potuisset. Mortale *scil. in Julium Erasmi* Odium, *ita & in* Medicum *istum redundavit, ut hæc ei in* sua *ipsius* Persona *loquenti verba expresserit* (*Lib.* 8. *Ep.* 9. *ad Ammonium*) Cui succenseam nisi Verpo illi τῆ Ἀρχιερέως ἰατρῷ, qui quidem aut parum Artifex est, aut prorsus effœtæ sunt Anticyræ. *Vox scil:* Artem *Medico, quia Julio* Vitam *Arte Medica* prorogatam *invidentis: Loquentium distingue Personas, atque hæ quoque conspirabunt sententiæ; nec inter se modo, sed & in Erasmo Dialogi Authore constituendo. Neque ista, quæ confestim inibi sequuntur,* sed ipsa Fata viam inveniant; *minus videantur perpendenda, si cum istis Dialogistæ pag.* 6. *conferantur; Deturbaturus & Hispanos (nam huc ibã)* nisi me Fata terris eripuissent. *Dic libere Bibliopola, annon idem,* & effusi *Voti,* & enarrati (*vel* quasi *enarrati*) *Facti censendus est Author? Imo an non omnes, quas inter comparationem instituimus (vel ipsa de facie*) Sororiæ *prorsus videntur Sententiæ,* Parentemque *ideo sibi jure merito vendicare Erasmum?*

Bibl

Bibl. *Poeta mihi responsum suggerit*,

— — Facies non omnibus una,
Haud diversa tamen, qualis decet esse Sororum.

Crit. *Sententiarum huic, quæ ad Identitatem proximè accedit, Similitudini; addas, in Apice Theologico Syncretismum, ita Erasmo cum Dialogista commune, ut sit hisce duobus (si modo duo sint) tantum non peculiaris etiam & proprius. Bella Christianis (saltem inter se invicem) neutiquam licere Sensit Erasmus; ut (Locos inter quamplurimos alios) videre est in Annotatis ad Lucæ* 22. *Vers.* 36. *Ejusdem planè Sententiæ videndus est & Dialogista pag.* 8. *Ejusdemque usque adeo plenus, ut Personæ quam induerat ibidem loquentis minus memor, ad alios illos Scriptorum Suorum (Erasmicorum Scil:) hac de re Locos, Lectorem videatur relaturus. Quin* illis *quid immoramur?* Inventio, Judicium, *Sermonum* elegantia, *Rationum* Argutia, Diverbium, *Sarcasmus*, Lepos, Filum *orationis*, & Textura, *omnia palam* Erasmiana *sunt. Nec modò Luc. Osiander Epit. Hist. Eccl. Cent.* 16. *pag.* 17. *asserit, multos Eruditos viros ex* stylo *judicasse Erasm. Rot. fuiße hujus Dialogi Authorem; sed & Leo Juda (referente in illius vita Melch. Adamo, pag.* 29.) *Dialogum Erasmo Authori tribuit, imo ut Seditiosum exprobrat: Nec quicquã tamen huic Judæ Criminationi responsum est ab Erasmo; metuente sc. illo, ne qui Seditiosum exprobravit, probaret & Suum.*

Bibl. Rationes *fateor* plusquam probabiles; &, *si non* ipsas *quidem* Demonstrationes (*quas nec ferat fortean* Argumenti *Ingenium*) *Demonstrationibus certe* proximas: *Authoritates vero ad fidem faciendam omni exceptione majores. Veruntamen animo meo unus, atque item alter*, eximendi *restant* scrupuli; *sed* Molestiæ *magis* tædioque *hoc tibi futurum vereor, quã ut* hanc *etiam faciendam mihi expectem abs te* gratiam. Crit. *Ego vero mihi primum expecto* proponendos, *mox & tibi* ponendos *spero Scrupulos.* Bibl. *Annon Erasmus ipse Dialogi (tanquã partus* Spurii *ad* Limen *suum appositi*) Parentem *se negat?*

Crit.

Lib. 13. Ep. 19.

Crit. *Prima quidē facie, in ista ad* Campegium Card.*alteraque ad Tho.Morum (nostratem) Epist.* speciem *præ se fert* negantis, *sed negantis* frigide; *nosti autem, quod in veteri est Proverbio*; *Qui* frigide *negat*, consentire *videtur*. Bibl. *Quin* Erasmo *solenne forsan erat* vehementius *nihil*, apertiusve *negare*. Crit. *Adeo* falsa *est hæc* conjectura, *ac quæ* falsissima; Aperte *satis*, *pari casu*, *hacque in ipsa ad* Campeg. *Epistola* Lutheri *librum* suum *esse negat*. Initio, *inquit*, meum esse dictitabant, cum illic nec unus apiculus sit meus: *Nec animo solum* apertiori, *sed* Vehementiori *etiam Accentu*, spirituque *fervidiori*, *id ipsum alibi præstat*: Non dubitem omnes Diras imprecari Capiti meo, si quisquam est Lutheri tam exiguus libellus, quem totū perlegerim; si in omnibus, qui illi tribuuntur, ulla Syllaba mea est. *lib.*17. *ep.* 14. *ad. Paul. Bombasium*: *Et paulo post*, Aleander indicavit, mihi tribui duos libellos, quorum alteri Titulus est Eubulus, alteri Lamentationes Petri; Emoriar, si unquam mihi fuerat auditus Titulus, antequam ille protulisset. *Viden' ut non* directe *solum*, *sed* & fervide *item*, negare *potuit Erasmus*, *ubi potuit* & vere: *Julium esse suum nec* fervide, *nec* directe *quidem negare voluit*, *quia non nisi* falso *potuit*. Bibl. *Quorsum igitur profusio hæc tot* Argumentorum *veri Auhoris opinionem à se* amolientiū? Crit. *Dicam equidem quod* sentio: Veracior *erat Erasmus*, *quā ut* negaret, prudentior, *quam ut* agnosceret; *præsertim rigidis duobus* Papistis *Cāpegio, atque Moro*; *quorum iste* supremæ Romani *Pont.* potestati *tuendæ strenuā operam dedit*; *Ille sibi* acquirendæ *avide* inhiavit. Bib. *Verum en tibi* Erasmum *Campegio disertis verbis negantem* suam esse Phrasin. Crit. Phrasin *forte suā* consulto *aliquantillum* dissimulaverat; *ut* cæcus *plane sit oportet in* Re Critica *qui pone* tenuem *adeo dissimulatæ Phrasis* larvam, *Erasmum non* videat; *nec ipse interim*, *ut vides*, *diffitetur Erasmus*, quin Oratio nonnihil referat Erasmicum; *cum revera nihil referat* non Erasmicum, *præterquam quòd Erasmus forte* dissimulaverat. Bibl. *Veniam, obsecro, des meæ vel Imperitiæ, vel Curiositati, jam ultimò quærenti*:

Quid

Quid tot fictis *Authoribus*(*si modo fictos* omnes *norat*, *semetipsum autem* verum *Authorem*) tributum *diceret Dialogum?* Crit. *Nimirum*, *ut in tanta* fictorum *turba*(*sic enim sua interfuit*) Verus *ipsemet Author* securius *delitesceret*. *Verum cum tu jam* percontandi *demum finē feceris*, *mihi unum hoc sciscitanti* responde: *Unde* præstantissimi *hujùs dialogi* excudendum *nactus es* Exemplar? *Nam vix unum aut alterum* Mare *huc nostrum tranarunt* Britannicum: Jesuitis *forte pro* Arte, *ut audio*, *istis* (*alias inter quamplurimas*) solenni, *omnia*, *ubicunque Gentium essent reperienda*, *sedulo* præmentibus, *non tam eo consilio ut* sibi *compararent*, *quam ut* nobis *tantum* Thesaurum *adimerent*. Bib. *Nactus sum* (*colendissimi Amici munere*) *ex instructissima* viri Illustrissimi *Bibliotheca*, bonarum *omnium literarum* Cultoris *pariter*, *ac* Fautoris *eximii*; *præsertim* Proprietatis *Latiæ*, Puritatisque, *nihilo infra* Togatorum *optimos* (*multo supra* Equestris *sui ordinis*, *quos novi*, Maximos) Magistri; Nomen *interim*, *pro* Candore *tuo*, reticendum *quæso permittas*, *cum* (Amico peregre longum *iter* profecto) *nihil quicquam hac adhuc in parte*, *de* Equitis amplissimi *Voluntate exploratum habeam*. Julium *alioqui* Bellatorem *de* Reb. pub. *à se* Regibusque *victis toties olim* triumphantem, *ad illius* Nominatim *Pedes provolutum* (*in Epistola nempe Dedicatoria*) *Patrocinium*, *supplicem modo obtestaturum stitissem*. Crit. *Nisi tuam satis* probarem Prudentiam, *meam nimium* Impudentiam *proderem*; *eademque sat scio* consulta *te usurum in Arcanis* Taciturnitate, *si quid itidem de Dialogi in* Piscem *pene* (*abrupte satis intelligas obtuseque*) prius *desinentis adjecto nuper* Colophone (*eoque reliquo*, *quod mihi videtur*, *Dialogo jam neutiquam indigno*) *consulerem*: *Itaque Val* —— Bib. *Plane*, *quod res est*, *sentis*, *me nec hic quidem* invito *quidquam* Authore *ausurum*; Vale *tamen tuum ausus sum* (*nimium palam impudens*) *vel* semiprolatum *interrumpere*; *nec*, *inopinata hac oblata mihi ansa*, *missum te facturus*, *priusquam* (*ruptis omnibus* & Fidei *tibi datæ*, *ac* observantiæ *tibi debitæ*

debitæ Vinculis) postremo tandē, nempe post ultimo meum, quæsierim, quid sibi velit, in Dialogo præsertim Erasmiano, Cauda capitique ac corpori (Epilogus, intelligo, Prologo totiq; præterea Dialogo) sic prorsus absimilis? Crit. Liceat mihi jam nimium plane festinanti vel uno, eoque tumultuario, dicere verbulo: Indicium opinor minime flaccescentis Nobilis Erasmi Ingenii, sed vel fluctuantis conscientiæ, an suo absque peccato licuit, vel vacillantis ei prudentiæ Argumentum, an suo sine periculo potuit Juliū, Judicie satis jā Cœlo exclusū, lascivienti etiamnum audacius calamo aut mortuum damnare, aut vivum etiam fortassis prædamnare (omnium licet dum viveret perditissimum) æternæ, ipsa in Gehenna perditioni subeundæ; an satius aliquanto de illo statuens, temporariis scil. (quos forte Erasmus etiam ipse, non omnia videns, credidit) purgandum Ignibus tradere. Hæc inter cogitata (quæ novæ, quisquis erat, Coronidis Fabrum neutiquam tenuere suspensū) animi dubius hærens Erasmus, Cœlo solummodo exclusum, nec Tartaro adhuc, necdum Purgatorio concludendum misit, sed inter utrumque (quid de se statuendum foret incertum) hac illac errabundum (ut Cœlum inter Orcumque Erasmum ipsum Papicolæ depingunt pendulum) abrupte satis dimisit Julium. Valeas jam tandem (Vale meum me passurus eloqui) Ingeniose Bibliopola: multoque hujus similes Libellos typis Librosque mandes. Bib. Valeas Critobule Insignissime, valeas: sed meis prius bene onustus Gratiis, qui Dialogo meo Authorem suum Erasmum, Authori suo Erasmo Dialogum meum (in Gratiam meā Commodumque) operose adeo vindicasti, juste adeo restituisti.

IN-

INTERLOCUTORES

JULIUS II. GENIUS, ET D. PETRUS.



ULIUS II. P. M. Quid hoc mali est? non aperiuntur *fores*? Opinor aut *mutatam*, aut certè *turbatam seram*. GENI. Quin potius vide, ne tu non attuleris *clavem* quam oportet: neque enim eâdem aperitur *hoc ostium*, qua *arca numaria*; atque adeo cur non utramque huc attulisti? nam illa quidem *potentiæ* clavis est, non *scientiæ*. JUL. Imo mihi præter *hanc* nulla unquam fuit: neque video quid opus sit *illa*, quum *hac* adsit GEN. Nec ego sane; nisi quod interim excludimur. JUL. Effervescit mihi bilis, pulsabo fores. Heus heus, aperite hoc actutum aliquis ostium. Quid hoc rei est? nemòn prodit? quid ità cessat *hic Janitor*? stertit opinor adprobe potus. GE. Ut hic ex se metitur omnes! PE. Bene habet quod *portam* habemus *adamantinam*, alioquin fores hic, quisquis est, perfregisset. *Gigantem* aliquem, aut *satrapam*, urbium eversorem oportet adesse. Sed, ô Deum immortalem! quam hic *cloacam* olfacio! Non statim aperiam ostium, sed hic e fenestella cancellata prospectans, quid portenti sit, cognoscam: *Quis* es? aut *quid* tibi vis? JU. Quin tu fores aperis quantum potes? qui si tuo fungi voluisses officio, obviam oportuit venisse vel cum universa *Cælitum* pompa. PE. Satis imperiose. At tu mihi prius exponito, quisnam sis. JU. Quasi vero ipse non videas.

PE. Videas? Ego vero novum & hactenus non

 visum

visum *spectaculum* video, ne dicam *monstrum*.

JUL. At, ni plane cæcus es, agnoscis opinor *clavem* hanc, si quercum auream ignoras, Et vides *triplicem coronam*, nec non undique gemmis & auro lucentem *pallam*. PE. Equidem argenteam *clavem* utcunque agnosco; licet & *solam*, & multo dissimilem iis quas olim mihi *verus* ille *pastor* ecclesiæ tradidit *Christus*. Porro *Coronam* istam tam superbam, quì quæso possim agnoscere? quam nec *barbarus* unquam *Tyrannus* ausus est gestare; nedum is qui *huc* admitti postulet. Nam *palla* quidem ista nihil me movet: qui *gemmas* & *aurum* perinde ut *rudera* semper calcarim, atque contempserim. Sed quid hoc est? video passim & in *clavi*, & in *corona*, & in *palla* notas sceleratissimi *cauponis*, & *impostoris*, mei quidem *prænominis*, sed non *instituti*; *Simonis* potius, quem ego quondam Christi præsidio dejeci. JUL Mitte *nugas* istas, si sapis: nam ego, si nescis, sum *Julius* ille *Ligur*, & agnoscis, ni fallor, duas literas. *P. M.* nisi omnino literas nullas didicisti. PE. Significare opinor, *Pestem Maximam*. GE. Ha ha he, ut hic *divinator* rem acu tetigit! JUL. Imo *Pontificem Maximum*. PET. Ut *ter maximus* sis, ac magis etiam quam *Mercurius* ille *Trismegistus*, huc non recipieris: nisi fueris *optimus*, hoc est *sanctus*.

JUL. Atque adeo si quid ad rem pertinet appellari *sanctum*, nimium impudens es, qui mihi cunctaris aperire fores: cum tu tot jam seculis tantummodo *sanctus* dicaris, me nullus unquam vocarit, nisi *sanctissimum*. Extant sex millia *bullarum*.

GE. *Vere* bullarum. JU. In quibus non semel *sanctissimus dominus* nominor, imo jam *sanctitatis* nomine denotabar, non *sancti*: ut quicquid mihi libuisset. GE. etiam *temulento*. JUL. id *sanctitatem* sanctissimi Domini *Julii* dicerent fecisse.

PE. Quin tu igitur ab istis adulatoribus *Cælum* postulato, qui te *sanctissimum* fecerunt; & iidem tribuant *felicitatem*, qui dederunt *sanctitatem*. Quanquam usque adeo nihil interesse censes, *dicaris* sanctus, an *sis*? JUL. Irritor. si vivere modo licuisset,

isset, ego tibi istam nec *sanctitatem* inviderem, nec *felicitatem*.

PE, O *vocem* sanctissimæ mentis *indicem*! quanquam & alioquin ego te jamdudum oculis totum collustrans, multam *impietatis*, nullam in te *sanctimoniæ* notam animadverto. Quid enim sibi vult novus iste *comitatus*, tam non *pontificius*? nam viginti ferme millia tecum adducis: nec ullum in tanta conspicio turba, cui vel *vultus* sit *Christianus*. Video teterrimam hominum colluviem, nihil præter fornices, temetum, ac pulverem bombardicum olentium. *Latrones* conductitii mihi videntur, vel *larvæ* potius *tartareæ*, huc ab *inferis* erupisse, ut *cœlo* bella moveant. Jam teipsum quò magis ac magis contemplor, hòc minus ullum video *Apostolici* viri vestigium. Principio, quid hoc *monstri* est, quod cum superne *sacerdotis* ornatum geras, idem intus *armis* cruentatis totus horres, crepásque? Ad hæc, quam *truces* oculi, quam *contumax* os; quam *minax* frons, quam *elatum* & *arrogans* supercilium! Nam *pudet* dicere, ac *piget* interim videre, nullam corporis partem non conspurcatam notis *prodigiosæ*, ac *abominandæ* libidinis. Ut ne dicam, quod etiamuum totus & ructas, & oles *crapulam*, & *temetum*, ac mihi quidem modo *vomuisse* videris. Utique is est totius corporis habitus, ut non tam *ætate*, *morbisve*, quam *crapula* vietus, marcidus, ac fractus videaris. GE, Ut graphice hunc suis depinxit coloribus! PE. Tametsi video te jamdudum mihi *supercilio* minantem, tamen haud queo reticere, quod sentio. Suspicor pestilentissimum illum *Julium* ethnicum ab inferis rediisse *personatum*, ut me rideat: adeo tibi cum illo conveniunt omnia.

JUL. *Ma. di. si.* PE. Quid dixit? GE. Iratus est. Ad hanc vocem nemo *Cardinalium* non fugitabat; alioqui *fuissem* illum *sanctissimi* sensurus, præsertim à *convivio*. PE. Tu mihi videre probe callere sensum hominis: proinde dic mihi, quis es?

GE. Ego sum *magnus* ille Julii *genius*. PE. Imo *malus* opinor. GE. qualiscunque sum, *Julianus* sum. JUL. Quin tu *nugas* istas missas facis,

ac *fores aperis?* nisi mavis *effringi*; quid multis opus est? vides *cujusmodi* ducam *comites*? PE. Sane video, *latrones* exercitatissimos. Verum ne sis inscius, hæ *fores* tibi sunt aliis *armis* expugnandæ.

JUL. *Verborum* inquam, jam satis. Ni *propere* pares, excummunicationis *fulmen* vel in *te* torquebo, quo summos aliquando *reges*, atque adeo *regna* terrui. *Bullam* vides jam in hæc paratam? PE. Quod, malum, *fulmen*, quod tonitru, quas *bullas*, quas *ampullas* mihi narras, obsecro? nam istorum nihil unquam *audivimus* à Christo. JUL. At *senties*, nisi pares.

PE. Si quos olim istis *fumis* territasti, nihil ad *hunc* locum, hic *veris* agas oportet: *benefactis*, non *maledictis* hæc arx *expugnatur*. Sed quæso te, tu mihi fulmen *excommunicationis* minitaris? dic quo jure? JUL. *Optimo*, quando jam *privatus* es, nec aliud quam quilibet *privatus* sacerdos, imo ne *sacerdos* quidem, utpote *consecrandi* impotens.

PE. Nempe quia *mortuus* opinor. JUL. Videlicet PE. At ista quidem ratione, nihilo mihi præstas *plus* quam *mortuus*. JUL. Imo quamdiu *cardinales* de novo *pontifice* subrogando litigant, mea est *administratio*. GE. Ut adhuc *vitæ* somnia somniat! JUL. Sed jam aperi inquam. PE. Ni *merita* narras, inquam, nihil agis. JUL. Quæ *merita*? PE. Dicam: Excelluisti *doctrina sacra*? JUL. Minime: nec hoc vacabat tot occupato *bellis*: verum abunde satis est *fratrum*, si quid hoc ad rem pertinet.

PE. Ergo vitæ *sanctimonia* multos Christo lucrifecisti? GE. *Tartaro* quam plurimos. PE. Claruisti *miraculis*? JUL. *Obsoleta* loqueris. PE. *Pure* orasti & *assidue*? JUL. Quas *nugas* hic gannit? PE. *Jejuniis* quoque, *vigiliisque* corpus emacerasti.

Ge. Desine quæso frustra hæc apud hunc, ne ludas operam. PE. Ego alias *egregii* pontificis *dotes* non novi: si is habet magis *apostolicas*, narret ipse. JUL. Quanquam indigna res est. *Julium* illum omnibus antehac *invictam*, nunc *Petro* cedere, ut

ne quid aliud dicam, *piscatori*, ac pene *mendico*, tamen ut cognoscas cujusmodi contemnas *principem*, audi jam paucis. Principio *Ligur* sum, non, ut tu, *Judæus*; unumque mihi vel hoc tecum esse commune doleo, quod *navicula* tor, aliquando fuerim.

GE. Nihil est quod graviter feras, nam hic quoque permultum interest, quod hic *victus* parandi gratia piscabatur: tu ad *stipem* exiguam scalmum remis subigebas. JUL. Deinde *Sixti* pontificis *vere* maximi. GEN: De *vitiis* sentit. JUL. è *sorore* nepos: Hujus singulari *favore*, meáque *industria*, primum ad *ecclesiasticas* opes, deinde per gradus ad *Cardinalitii* Galeri fastigium sum evectus: post, multis fortunæ procellis exercitus, ac durissimis casibus sursum jactatus ac deorsum, ac præter alios morbos, *comitiali* quoque obnoxius: Denique scabie quoque (quam *Gallicam* vocant)totus opertus: Ad hæc, exul, invisus, damnatus, omnibus abjectus ac pene deploratus. Tamen ipse de *summo pontificio* spem nunquam abjeci: ea erat animi *fortitudo*. Quum tu *muliercula* voce territus statim cesseris. Tibi mulier *animum* ademerat: mihi mulier quædam fatidica, sive sortilega, *fiduciam* hanc addiderat: quæ quondam tot merso malis, clam insusurravit in aurem. Perdura *Juliane*, nihil te pigeat vel *facere*, vel *pati*: olim *triplici corona* decoraberis, eris *rex* regum, & *dominus* dominantium. Neque vero me fefellit vel mea *spes*, vel illius *vaticinium*. Hoc quoque præter omnium spem sum eluctatus, partim ope *Gallorum* qui *rejectum* foverunt, partim inæstimabili vi *pecuniarum*, non absque multo conflata *fænore*: nec id absque *ingenio* tamen. PE. Quod *ingenium* narras? JUL. Hoc est, non absque *promissis* ex pacto *sacerdotiis*, atque in hoc repertis ex *arte* fide jussoribus: quandoquidem tam ingentem *pecuniam* vix *Crassus* ipse præsentem totam numerasset. Verum hoc frustra tibi narro, quum ne omnes intelligant mensarii. Habes quo modo *pervenerim*. Jam *in Pontificatu* ita me gessi, ut nemo sit, non dicam *priscorum* illorum *Pontificum*, qui solo *titulo* mihi videntur fuisse *Pontifices*, Sed nec *recentiorum*, cui tan-

 tum

tum *Ecclesia*, tantum *Christus* ipse debeat, quantum *mihi*. GE. Ut *Thrasonem* agit bellua! PE. Expecto quorsum evadas. JU. Nam multis *officiis* (sic enim vocant) novis repertis, non mediocriter auxi *fiscum* pontificium: Tum rationem inveni, ut citra *Simoniæ* vitium *episcopatus* emerentur. Nimirum constitutum est à majoribus meis, ut cui contigerit *episcopatus*, is deponat *officium* ; id ita sum interpretatus ; *deponere* juberis ; at non *deponitur*, quod non *habes* ; *emendum* igitur, quod *deponas*. Hac arte singuli *episcopatus*, sena statim, aut septena ducatorum millia adferebant : præter illa quæ ex more pro *bullis* extorquentur. Tum ex nova *moneta* (qua totam explevi Italiam) non exiguum emolumentum conflavi : nec ulla cessavi parte in accumulandis *pecuniis*. Nimirum intelligens absque *his* nihil *recte* geri , neque *sacrum*, neque *profanum*. Et ut ad *majora* veniam , Bononiam à *Bentivolis* occupatam *Romanæ* sedi restitui. *Venetos* ante *invictos* omnibus , mari *contudi*. Ferratiæ *ducem* diu male vexatum bello, propemodum in *nassam* illexeram. *Conciliabulum* schismaticum *simulato* contra *concilio* feliciter elusi, & clavum (quod dici solet) clavo pepuli. Postremo *Gallos* tunc orbi *formidabiles* universo, ex universa *Italia* deturbavi: deturbaturus & *Hispanos* (nam huc ibam) nisi me Fata *terris* eripuissent. Atque hic quoque quam *invictum* præstiterim *animum*, vide. Gallis *superioribus* latebras circumspectare cepi; Canam alebam *barbam*, cum rebus* propemodum in *desperationem* adductis repente nuncius affertur *aureus*, apud *Ravennam* aliquot *Gallorum* millia trucidata , ibi *revixit* Julius. Ad hæc triduum ferme pro mortuo habebar, etiam *mihi* : atqne hic quoque rursum præter omnium atque adeo *meam* etiam *spem* revixi. Tantum igitur valet mea vel *authoritas* vel *astutia*, ut hodie nemo sit *regum Christianorum*, quem non ad *arma* concitaverim, ruptis, discissis, discussis, *fœderibus* omnibus, quibus *inter* se fuerunt exactissime conciliati. Proximo quoque fœdere (quod *Cameraci* inter me , & *Gallorum* , & *Ro*. regem , aliosque coierat *principes*) ita *abolito*, ut ejus ne *mentio* quidem unquam sit facta.

Super hæc omnia, quum tantum aluerim exercitum, tot splendidissimos *triumphos* adornarim, tot exhibuerim *ludos*, tot locis *ædificaverim*, tamen *moriens* reliqui quinquagies centena millia *ducatorum*: majora gesturus, si *Judeus* ille *medicus*, qui diu mihi *vitam* arte sua *prorogarat*, amplius *proferre* potuisset. Atque utinam nunc quoque *magus* aliquis me in *vitam* restituat, quo egregiis cœptis meis *colophonem* liceat imponere; tametsi moriens sedulo id curavi, ne *bella* per me toto orbe concitata *componerentur*: dedique operam, ut *pecuniæ* in eum duntaxat *usum* essent incolumes, hæc erat suprema vox animum exhalantis. Nunc & sic de *Christo*, de *ecclesia*, merito *pontifici*, gravare *Cœli* fores aperire? Atque hæc magis admirabitur, qui perpenderit, me hæc *sola* animi *virtute* perpetrasse, nullis aliis adjutum *adminiculis*, quibus alii fere solent. Non *natalibus*, quum ne ipse *patrem* norim; quod quidem ad *gloriam* meam dixerim; non *forma*, quum *larvalem* faciem omnes *exhorruerint*: non *literis*, quas nunquam *attigi*: non *corporis* viribus, quod mihi tale contigit quale superius descripsi: non *ætatis* favore, senex hæc gessi: non aura *populari* velificationem faciens, nam nemo non *oderat*: non mea denique *clementia* aliorum *gratiam* concilians, nempe qui adeo fuerim *inexorabilis*, ut in eos quoque *sævierim*, quibus alii solent omnia *permittere*. PE. Quid hoc rei est? GE. hoc, tametsi *durum* videtur, *molle* quiddam est. JUL. Sed reluctante fortuna, ætate, corpore, breviter *diis* atque *hominibus*, solo tamen *animo* fretus meo, & *pecuniis*, hæc tanta paucis annis gessi: tanta relicta materia posteris, ut sit quod agant illi in decimum annum. Hæc de meipso *verissime* dixi, quæ si quis eorum, qui *Romæ* solent apud me *dicere*, suis *phaleris* exornasset, *Deum* audires, non *hominem*. PE. *Invictissime bellator*, quoniam mihi nova & inaudita sunt omnia quæ narras; quæso veniam hanc meo des vel *stupori*, vel *imperitiæ*: ne molestum sit crassius de singulis percunctanti respondere. Qui sunt isti *candidi*, *comatulique*? JUL. Hos quidem *animi* causa alebam. PE. Qui *nigri* isti & *cicatricosi*? JUL. Milites

lites sunt ac duces, qui *mea* & *ecclesiæ* causa fortiter in *bello* mortem oppetierunt, partim in expugnanda *Bononia*, complures in prælio adversus *Venetos*, plærique apud *Ravennam*: quibus omnibus vel ex *pacto* debetur *Cælum*: siquidem jampridem magnis *bullis* sum pollicitus, recta in cælum evolaturos quicunque *Julii* auspiciis pugnarent, etiam *quæcunque* vita præcessisset. PE. Proinde quantum conjectura consequor, ex istis erant qui mihi sæpius ante tuum adventum *molesti* fuerunt (dum huc tantum non *vi* conarentur irrumpere) *plumbeas* quasdam *bullas* ostentantes. JUL. Ergo non *admisisti*, quantum audio. PE. Egó ne? ne unum quidem *istius* sane generis. Nam ita me docuit Christus, has fores aperiendas non his, qui *plumbo* graves huc adducunt *bullas*, sed qui nudos *vestierunt*, esurientes *paverunt*, sitientibus *potum* dederunt, captivos *inviserunt*, peregrinos *collegerunt*: Etenim si eos quoque voluit excludi, qui in *nomine* suo *prophetarint*, qui *dæmonia* ejecerint, qui *signa* fecerint, tu censes admittendos, qui tantummodo huc afferunt *bullam*, *Julii* nomine? JUL. Quod si scissem? PE. Intelligo, si quis ab inferis reversus, ea tibi nunciasset, *bellum* indixisses etiam mihi. JUL. Quin & *excommunicassem*. PE. Sed perge, cur *armatus* ipse? JUL. Quasi nescias summo pontifici *utrumque* esse *gladium*; aut nisi velis bellare *nudum*. PE. Sane cum istum tenerem locum, nullum novi *gladium*, nisi gladium *spiritus*, quod est *verbum* Dei. JUL. At non idem prædicat *Malchus*, cujus auriculam absque *gladio* amputasti credo. PE. Memini, & agnosco; sed tunc pro magistro *Christo* pugnabam, non pro *meipso*, pro vita *domini*, non pro *nummis*, aut ditione *seculari*: & pugnabam nondum pontifex, *promissis* duntaxat *clavibus*, nondum acceptis, nondum accepto *spiritu sancto*: Et tamen jussus sum recondere, ut palam admonerer, hoc pugnæ genus non convenire *Sacerdotibus*, imo ne *Christianis* quidem: verum hæc alias. Cur tam accurate te *Ligurem* esse prædicas? quasi quicquam hoc ad *Christi vicarium* pertineat qua *gente* sit oriundus. JUL. Imo summam existimo pietatem *gentem* meam *nobilitare*:

litare : proinde *titulum* hunc, numismatis, statuis fornicibus, ac parietibus omnibus *inscribo*. PE. Ergo *patriam* novit, qui *patrem* non novit? At ego initio *putabam* te de *cælesti* Hierusalem credentium *patria* loqui, deque illius unico *principe*, cujus optant illi *sanctificari*, hoc est, *illustrari, nomen*. Sed cur addis, *Sixti* ex sorore *nepotem*, quem quidem hominem demiror nunquam huc accessisse: præsertim cum & *summus* fuerit *Pontifex*, & tibi tanto duci *cognatus*. Quare dic obsecro, quid hominis fuit? sacerdos ne? JUL. Imo *miles* egregius, tum *eximiæ* religionis, nempe *Fransiscanæ*. PE. Equidem *Franciscum* vidi quondam virum inter laicos *optimum*, opum, voluptatis, ambitionis summum *contemptorem*. An *pauperculus* ille tales nunc habet *asseclas*? JUL. Tu quantum video, nolis quemquam ad *meliora* proficere. pauper erat & *Benedictus*, cum hujus *posteri* nunc adeo *divites* sint, ut nos etiam illis *invideamus*. PE. Pulchre, sed ad rem redito, de Sixti *nepote*. JUL. Consulto id facio; nimirum ut obturem os illis, qui me ex illo *prognatum* affirmant, nimium *libere*. PE. Libere, seu num & *vere*? JUL. Atqui non est istud è *pontificia* dignitate, cujus ubique habenda est ratio. PE. At ipsa sui rationem ita demum rectissime mihi videtur habitura, si nihil admittat quod jure possit opprobrari. Sed obtestor per *pontificiam majestatem*, dic mihi bona fide, est ne ista jam via *vulgaris*, ac *solennis* ad summum *pontificium* perveniendi, quam modo depingebas?

JUL. Aliquot jam seculis haud fuit alia, nisi forte qui mihi successurus est, alia creabitur via. Nam ipse summum assecutus *pontificium*, statim edita formidabili *bulla* cavi, ne quis simi i ratione ad eum honorem penetraret, eam bullam & paulo ante mortem renovavi: quantum sit valitura, viderint alii. PE. Opinor neminem rectius id malum describere potuisse: sed illud miror quemquam inveniri qui *munus* hoc velit *suscipere*, presertim quum tot *occupationibus* sit (audio) obnoxium & tanto *negotio* ad id sit eluctandum. Nam *me pontifice* vix quisquam vi poterat adigi, ut *presbyteri*, aut *diaconi* susciperet honorem. JUL. Neque *mirum* adeo: nam illis temporibus *census* episcoporum

rum & *præmium* nihil aliud erat, quam lobores, vigiliæ, jejunia, doctrina, sæpenumero mors: nunc *regnum* est ac *Tyrannis*, & quis pro *regno*, si *spes* sit, non *dimicet*? PE. Sed age, quid *Bononia*, num à *fide* desciverat, ut fuerit sedi *Romanæ* restituenda? JUL. Bona verba, non hoc agebatur. PE. Fortasse *Bentivolo* male administante, *marcebat* resp. JUL. Imo maxime *florebat* ea civitas, multis ædificiis aucta & illustrata, & eam ob rem impensius *inhiabam*. PE. Intelligo: præter *jus* igitur invaserat? JUL. Ne hoc quidem. ex *pacto* possidebat. PE. Cives ergo non *ferebant* eum principem? JUL. Imo *mordicùs* illum tenebant: me *aversabantur* fere universi. PE. Qvid igitur causæ? JUL. Nempe quod ille sic administrabat, ut ex immensa *pecunia* quam à civibus colligebat, vix *paucula millia* ad nostrum rediren *fiscum*. Præterea sic expediebat, ad id, quod tum temporis agitabam animo. Itaque *Gallis* operam navantibus, & nonnullis meo *fulmine* territis; profligato *Bentivolo*, Cardinales & Episcopus *urbi* præfeci, ut nulla pars emolumentorum non rediret ad usus *ecclesiæ Romanæ*. Ad hæc, *titulus* & imperii *dignitas* antè penes illum esse videbatur: nunc undique nostræ visuntur *statuæ*, nostri leguntur *tituli*, nostra adornantur *trophæa*: jam passim & Julius *saxeus* stat & *æneus*. Denique si spectasses, quam regali triumpho *Bononiam* sim ingressus, fortasse contemneres omnes *Octaviorum*, ac *Scipionum* triumphos; & intelligeres me non absque causa tam strenue pro *Bononia* dimicasse, vereque spectasses eodem tempore, *militantem* & *triumphantem* Ecclesiam. PE. Ergo *te regnante*, quantum intelligo contigit illud, quod orare nos jusserat Christus, *Adveniat regnum tuum*. Jam vero *Veneti* quid admiserant? JUL. Primum *Græcissabant*, ac me propemodum pro *delectamento* habebant, nihil non conviciorum in me jacientes. PE. *Verorum*, an *falsorum*? JUL. Quid refert? *sacrilegium* est de Ro. Pontifice, vel *mutire*, nisi in *laudem*. Denique *sacerdotia* suo conferebant arbitratu: nullas *lites* huc transferri patiebantur: nullas commercabantur *dispensationes*. Quid multis opus est?

in-

intolerabili jactura Romanam sedem affligebant, quippe qui non exiguam insuper *patrimonii* tui partem occuparent.

PE. *Mei* patrimonii? Quod, obsecro, mihi narras *patrimonium*? qui relictis omnibus, *nudum* Christum *nudus* sum secutus. JU. Aliquot inquam *oppida* sedi Romanæ debita, sic enim *peculiarem* illam possessionum suarum *partem* sanctissimis patribus placuit appellare. PE. Mea quidem *infamia* probe vestris *lucris* consulitis. Hanc igitur appellas jacturam intolerabilem?

JUL. Quid ni? PE. Verum erant *corrupti* mores, *refrixerat* pietas? JUL. Apage, de *nugis* agis: imo detrahebantur nobis *infinita* ducatorum *millia*, quot vel *legioni* militum alendæ sufficiunt. PE. Magna sanè jactura *fœneratori*. At Ferrariensis ille, quid tandem designarat?

JUL. Quid ille? homo omnium hominum ingratissimus? Hunc honorem habuerat *illi* Christi vicarius *Alexander*, ut alteram filiam illi daret uxorem: addidit *dotis* nomine luculentissimam *ditionem*, homini alioqui ignavo: tamen immemor tantæ humanitatis, semper oblatrabat mihi *Simoniacum Pæderasten Vectigalia* nonnulla vendicabat, non illa quidem *maxima*, sed tamen haud quaquam aspernanda *diligenti* Pastori. GEN. Imo *Negotiatori*. JUL. Ad hæc, quod veriùs ad rem pertinet, expediebat & hoc ad id quod parabam; Hoc imperii *nostræ ditioni* copulari, propter *situs* opportunitatem: proinde conatus sum, hoc deturbato, ditionem eam meo *cognato* conferre, viro *strenuo*, & quidvis pro *dignitate* ecclesiæ ausuro: ut qui nuper suapte manu *Cardinalem Papiensem* in meam gratiam confoderit. Nam filiæ maritus sua sorte contentus est. PE. Quid audio? *uxores* & *liberos* habent summi *Pontifices*? JUL. *Suas* quidem *uxores* non habent, *liberos* autem habere, quid monstri est, cum sint *viri*, non *eunuchi*? PE. Sed quæ tandem res excitarat *schismaticum* illud *conciliabulum*? JU. perlongum fuerit rem à prima repetere origine; dicam summatim. Jam, quosdam tædere cæperat *Romanæ curiæ*: Aiebant, turpi *quæstu*, prodigiosis ac nefandis *libidinibus*, *vene-*

ficiis

ficiis, *sacrilegiis*, *cædibus*, *simoniacis nundinis*, undique inquinata esse omnia. *Meipsum* aiebant simoniacum, temulentum, spurcum, mundano turgidum spiritu, ac modis omnibus *eum* qui locum *indignus*, cum summa reipublicæ Christianæ *pernicie*, occuparem: itaque *generali Concilio* succurrendum esse rebus tam afflictis. Aiebant *adjuratum* me, ut post acceptum honorem, intra *biennium* generale Concilium indicerem: hac lege creatum *pontificem*. PE. Atque id vere dictum? JUL. Imo *factum*: At ipse *me* ab eo *jurejurando*, quum visum est, *absolvi*. Quis autem dubitet, vel quidvis *dejerare*, cum de *Regno* agitur? In aliis colenda *pietas*, ut eleganter ille dixit *Julius*, alter *ego*. Sed audaciam hominum specta. vide quorsum evadant. *Desciscunt* Cardinales novem, *denunciant* mihi *Concilium*, invitant, orant, ut *præsideam*. Quum non impetrant, indicunt universis, authore *Maximiliano* tanquam *Imperatore* (quod historiæ testentur, olim ab *Imperatoribus Romanis* Concilium indici solere) authore item *Gallorum* rege *Ludovico*, ejus nominis *duodecimo*. Horresco referens, ac tunicam illam Christi inconsutilem conantur *discindere*, quam ii quoque reliquerunt *integram*, qui *crucifixerant*. PE. Sed eras *istiusmodi* qualem illi prædicabant. JUL. Quid ad rem? *summus* eram *pontifex*, finge me vel *Cercopibus* sceleratiorem, vel *Morycho* stultiorem, vel indoctiorem *stipite*, spurciorem *lerna*. quisquis hanc tenet *potentiæ* clavem, eum decet, ut *Christi vicarium* revereri, ut *sanctissimum* suspicere, PE. Etiam *aperte* malum?

JUL. *Vel apertissime*. Quare non ferendum, ut qui *Dei* vicem agit in *terris*, omnino *Deum* quendam inter *homines* præstat, à quopiam *homuncione* reprehendatur, aut conviciis violetur, PE. Atqui reclamat *sensus communis*, ut bene *sentiamus* de eo, quem palam scelerosum *cernimus*: aut bene *loquamur* de eo, de quo male *sentimus*. JUL. *Cogitet* quisque quod volet, modo bene *loquatur*, aut certe *sileat*. reprehendi non potest *Ro. Pontifex*, nec à Concilio *generali*. PE. Unum hoc scio; qui *Christi* vicem sustinet in *terris*, debere quam potest illi *simillimum* esse, atque ita vitam omnem peragere, ne

quid

quid in eo possit *reprehendi*, neve quisquam *merito* de illo male *loqui* queat. Male vero cum pontificibus agitur, si ut bene de se loquantur homines, *minis* extorquent potius, quam *benefactis* impetrant; quos nisi *mentiendo* laudare non possis, quorum *summa* gloria sit, hominum male sentientium *coactum* silentium. Verum illud mihi responde. Nulla ratione potest *amoveri* scelerosus ac pestilens *Pontifex*?

JUL. Ridiculum, à quo *amoveretur* qui *summus* est? PE. Atqui ob istud ipsum maxime debebat amoveri, quia summus. Nam quo *major*, modo *malus* etiam, eo *perniciosior*. Quin tu *Feliciorem* multo nobis, Juli, *prædicas*, quam *Christus* unquam constituit, *Summum Pontificem*; ita totum in cogitando se *summum*, ut se *Pontificem* esse minus sit memor; imo reapse *pessimum* esse, pessimumque *impunè* sibi licere existimantem, quia titulo *Maximum*: Pontificem ita *titulo* tenus summum, maximúmque, ut in Reges *vere* summos, maximosque sub *Deo* Imperatores, maximum, summúmque *Jus* (Summa haud absque *Injuria*) sibi vendicandum sentiat, ac si *precariò* plane regnantes, *Vicariamque* merè potestatem *ementito* huic *Christi* in terris *Vicario* acceptam ferentes: Jus primùm *Sacris*, dein & *Solus* arcendi: Jus in *fidelitate* ac *obedientia* (ipso mandante Deo debita) illis præstanda, cum subditis *dispensandi*: Jus denique adversum illos in rebus *leviculis* (fortean & *impiis*) Pontifici minus morem gerentes; non tam *spiritualem* ad vitam *emendandam*, quàm & ad *tollendam temporalem* gladium stringendi. Ipsum interea *summum* Pontificem (Jura licet omnia non *humana* modo, sed & *divina* nefario violantem, *cœlumque* (quod ajunt) *terræ*, genus omne sceleribus, miserrime miscentem) nempe *quia summum*, loco vel (quod dici forrassis malles) *sede* movendi mortalium nullis (ne omnibus quidem *Regibus* una ac *Imperatoribus*) jus concedendum arbitraris. Feliciter sane, Juli, admodum cessit *mortem* unicam hoc in re juri habuisse (si & ab hac etiã *tyrannice* nimis tecum forsan actũ causeris) quod *mortalibus* ad unũ omnibus mordicus pernegasti. Itane vero à *Christo* comparatum est? Siccine pro-

speciosse

ſpexiſſe cenſendus eſt *Eccleſiæ* commodis, ut hujus *vita*, *ſaluſque* in ſola iſtiuſmodi Pontificis *morte* reponenda ſit? JUL. At ſi *corigendus* eſt Ro. Pontifex, per *Concilium* corrigatur *oportet*. Porro nullum *Concilium* cogi poteſt invito *Pontifice*: alioqui *Conciliabulum* fit, non *Concilium*. Quod ſi maximè *cogatur*; nec *ſtatui* quicquam poteſt *refragante* Pontifice. Denique reſtat extremum præſidium; *abſoluta* poteſtas, qua longe jam *ſuperior* eſt *unus* Pontifex *univerſo* Concilio. Cæterum *ſubmoveri* ſacerdotio non poteſt ob *quodvis* crimen. PE. Non. Non ob *homicidium*?

JUL. Nec ob *paricidium*. PE. Non ob *fornicationem*? JUL. Bona verba; imo ne ob *inceſtum* quidem. PE. Non ob *ſimoniacam* impietatem? JUL. Non vel ob *ſexcentas*. PE. Non ob *veneficium*? JVL. Ne ob *ſacrilegium* quidem. PE. Non ob *blaſphemiam*? JUL. Non inquam. PE. Non ob hæc *omnia* ſimul in unā ceu *lernam* conflata? JVL. Adde ſi libet *ſexcenta* flagitiorum nomina, his quoque *fœdiora*, non poteſt tamen Ro. Pontifex ob iſta *ſubmoveri* loco.

PE. Perquam honorifice equidem (ſupra *Reges* nempe omnes ac *Imperatores*) de *Concilio* ſentire videris, at *videris* tantum Juli; *Concilium*, ſcil. male habenti Eccleſiæ *corpori* Medicorum quaſi *Collegium* ſanando antiquitus conſtitutum haud invitus probas; at nunc dierum huicce unquam convocandum uſui vix, aut ne vix quidem eo adduci potes, ut ſuſtineas: *Caput* autem (ſic audire tibi volupe eſt) quod ſpectat ipſum, licet haud *male* ſanum modo, verum adeo prorſus *inſanum* etiam *Caput*, ut Communis Eccleſiæ morbus, *Peſtiſque* merito habendum ſit, *Veſanum* tamen iſtiuſmodi *Caput* quorum tandem cunque teneatur reatu *Criminum*, pro merito vel *amputandi*, vel dum *amovendi*, Anticyraſque *ablegandi*, concilio, vel *Occumenico*, tanquam Eccleſiæ (ut loquimini) *Repreſentativæ* nihil quicquam *Poteſtatis* ullatenus permittendum cenſes. JVL. Quidam ob *unum* quiddam duntaxat *amoveri* poſſe dicunt PE. Ob quod obſecro *benefactum*, quandoquidem ob *male*

leſact

lesacta non potest, si ob *hac*, quæ dixi, non potest. JUL. Ob crimen *hæreseos*, at ita demum, si *publice* sit *convictus*. Verum id quoque *frivolum* est, neque vel tantillum officit Pontificiæ *majestati*. Primum in manu est, *Legem* ipsam *abrogare*, si minus placeat. Deinde quis *ausit* summum Pontificem in crimen *vocare*; præsertim tot armatum *præsidiis*? Ad hæc; si forte prematur Concilio, facilis est *palinodia*, si inficiari non liceat: Postremo mille sunt *cuniculi*, quibus facile possit *elabi*: ni prorsus *Stipes* sit, non *homo*. PE, Sed dic mihi per Pontificiam *potestatem*, quis *leges* istas tam præclaras condidit. JUL. Quis alius nisi *fons* legum omnium. *Ro. Pontifex*? Atqui *ejusdem* est legem abrogare, interpretari, dilatare, astringere, utcunque visum est suis expedire *commodis*. PE. Felicem profecto *Pontificem*, si legem ferre possit, qua *Christum* etiam eludat; nedum *Concilium*: quanquam adversus hujusmodi *Pontificem*, cujusmodi tu modo descripsisti, palam scelerosum, temulentum, homicidam, simoniacum, veneficum, perjurum, rapacem, portentosis libidinum generibus undique conspurcatum, idque *propalam*, non tam optandum *generale Concilium*, quam ut *Plebs* armata saxis, ut publicam orbis *pestem*, publicitus tollat è medio. Verum age, dic mihi, quid est causæ cur *Ro. Pontifex* tantopere horreat *generale Concilium*? JUL. Nempe quod turba tot *excellentium* virorum, non nihil obscuretur *Pontificia* dignitas. Qui *docti* sunt, iis *literæ* fiduciam & audaciam adducunt: qui *boni*, conscientia freti, liberius loquuntur, quam nobis expediat: qui *dignitate* præditi, *authoritate* utuntur sua. Accedunt inter hos nonnulli, qui nostræ invident *gloriæ*, & hunc animum secum afferunt, ut minuant Pontificis & *opes*, & *authoritatem*. Denique nullus hic assidet, quin sibi putet aliquid adversus *Pontificem* licere *Concilii* titulo, nimirum *alias* invictum. Proinde vix ullum *Concilium* tam feliciter cessit, ut *summus* ille Pontifex non aliquam *majestatis* suæ jacturam senserit, minusque *summus* discesserit. Cujus rei vel *ipse* testis esse potes, nisi prorsus ex-

cidit.

cidit. Nam quamquam certamen quidem de rebus *leviculis* agebatur, non de *Imperiis* & *Regiis* censibus, ut nunc, tamen *Jacobus* ausus est *tuæ* orationi nonnihil de *suo* adjicere: Etenim quum tu Gentiles onere *Mosaicæ* legis in *totum* liberasses, *Jacobus* succedens, *fornicationem* excepit, & *sanguinem*, & *idolothytum*, veluti corrigens tuam *sententiam*: ut hodieque sint, qui hac re commoti, non *tibi*, sed *Jacobo* putent fuisse *summi* Pontificis *autoritatem*. PE. Unum igitur illud spectandum existimas, ut *salva* sit summi pontificis *majestas*, ac non magis *publica* utilitas reip *Christianæ*? JUL. Ad *suum* quisque commodum spectat; nos *nostrum* agimus negotium.

PE. Atqui si Christus *idem* fecisset, jam nec esset *Ecclesia*, cujus te *Monarcham* esse jactitas; & non video qui conveniat, ut qui Christi *Vicarius* appellari gaudeat, Christo *diversa* sequatur. Sed illud jā expedi, quanam arte *schismaticum* illud, uti tu vocas, *Concilium* discusseris? JUL. Dicam equidem, assequere, si potes. Primum *Imperatorem Maximilianum* (sic enim *vocant*) ut est unus omnium minime difficilis, tamen si per solennes nuncios *Concilium* indixerat, tamen, non dicendis modis, ab instituto subduxi. Preterea *Cardinalibus* a iqnot *arte* simili persuasi, ut quod publicatis jam *instrumentis* statuerant, rursum accitis *Notariis* ac *testibus*, negarint. PE. An istud licet? JUL. Quid ni *liceat*? approbante *summo* Pontifice? Qui si volet, *jusjurandum*, jusjurandum non est: ut à quo passim quos vult liberat. Sed tamen, ut ingenue dicam, erat id quidem *paulo impudentius*: verum non patebat via *commodior*: Deinde quum videbam futurum, ut apud nonnullos invidia *Concilii* premeter, maxime quod sic esset *indictum*, ut ipse non *excluderer*, sed *suppliciter* invitarer, rogarerque *præsidere*; vide quam jam *techmam* repererim, superiorum secutus exemplum. *Ipse* vicissim ad *Concilium* provocavi: causans nec *tempus*, nec *locum* satis esse idoneum, quem illi præstituissent. *Romæ* subito *Concilium* indixi, quo neminem venturum arbitror *Julio* non amicum, aut certe non obsecundaturum

turum

tutum; Sic etiam eos multis exemplis docueram. Ac potius in hunc usum complures *Cardinales* creavi meis institutis *accommodos*. GE. Hoc est, facinorosissimos, JUL. Rursum hoc *Concilium* nisi *indixissem*, Concilium non fuisset: & tamen haud quaquam expediebat rebus meis tantam *Episcoporum* & *Abbatum* turbam huc confluere, inter quos fieri non potest quin aliquot *probi piique* fuerint futuri. Itaque monui, ut *sumtibus* parcerent: singulæ regiones *unum*, aut *alterum* duntaxat mitterent. Deinde cum ne hoc quidem satis *tutum* viderem & *paucos* ex tot provinciis ad *magnum* rediturus numerum: denuo illis jam ad iter accinctis denunciavi, ne venirent; *Concilium* in aliud tempus *prorogandum*: commentus ad id *causas* utcunque *probabiles*. Atque iis *artibus* exclusis universis, rursum *antevertens*, quem Præscripseram, *diem*, *Romæ* Concilium institui, cum iis duntaxat, quos ad id paraveram: Inter quos etiamsi *quidam* futuri essent, qui *dissentirent* à me, tamen illud certum habebam, *Julio* neminem refragaturum; tantò armis, & satellitibus, *superiori*. Jam, ad hunc modũ ingenté invidiã movi *Gallicano* illi *Concilio*, dimissis quoquoversũ literis, in quibus de nostro *Sacrosancto Concilio* faciebã mentionem; *Concilium* illorũ execrans, *conventiculum* Satanæ, Conciliabulum Diaboli, schismaticam *conspirationem* subinde nominans. PET. Oportet sceleratissimos fuisse *Cardinales*, authores & principes *Concilii*. JUL. De *moribus* nihil queror, sed *caput* hujus negotii fuit *Episcopus Rothomagensis*, qui nescio qua *sanctimonia* semper huc spectavit, ut *Ecclesiam* redderet *emendatiorem*, idque fecit locis aliquot. Hunc mors eripuit mihi, tum rem faciens omnium gratissimam. Successit huic *Cardinalis*, titulo *Sanctæ Crucis*, Hispanns vitæ, quidem *inculpatæ*, sed *rigidus* senex, ac *Theologus*. Quod quidem genus hominum ferme solet esse infestum *Romanis Pontificibus*. PE. Atqui homo *Theologus* nihil habebat, quod suo facto probabiliter obtexeret? JUL. Permulta. Aiebat nulla fuisse tempora *inquietiora*, quam *tum* erant, nunquam Ecclesiæ *morbos* magis *in-*

 sole-

tolerandos, itaque *generali Concilio* succurrendum. Me, cum ad *summum Pontificium* admitterer, *Sacramentis* adactum, ut *secundo* ab inito pontificatus *anno* Concilium indicerem, & ita adactum, ut ne à *Cardinalium* consessu possem absolvi. Deinde sæpius à fratribus meis *Cardinalibus*, admonitum, rogatum, interpellatum à *Principibus*, quodvis potiùs quam hoc, in aurem admisisse: ita ut palam appareret, Julio *vivo*, nunquam futurum *Concilium*. Citabant exempla superiorum *Conciliorum*, citabant *leges* aliquot *pontificias*, quibus ostendebant, *Me*, cum meis, *detrectante* Concilium, ad *se* jus indicendi devolutum. Cæteris item *principibus* conniventibus, *indicendi* munus ad *Imperatorem Ro*: qui olim *solus* indicebat, & ad *Gallorum regem*, qui præcipuus esset, pertinere. PE. Num igitur in te nefanda dicta scribebant ?

JUL. Imo *furciferi* plus hic *sapiebant* quam volebam. Rem *odiosissimam* mira *modestia* tractabant, & non solum temperabant à *maledictis*, sed me nunquam nisi cum *honoris* præfatione nominabant, rogantes, & obsecrantes per omnia *sacra*, *piàque*, ut quod me *dignum* erat, quodque *jurejurando* pollicitus essem, *Concilio* indicto *præsiderem*; pariterque secum *sanandis* Ecclesiæ *malis* operam commodarem. Nec dici potest, quantum hæc *temperantia* mihi conflarit *invidiæ*, præsertim cum omnia sua *sacris literis* condirent; nam apparet *eruditos* aliquot ad id adhibitos. Addebant interim jejunià, orationes, miram vitæ frugalitatem, ut magis etiam me premerent opinione *sanctitatis*.

PET. Tu contrà, quo titulo *Concilium* indixeras ?

JUL. Longe *splendidissimo*: obtendebam mihi in animo esse primum corrigere *caput* Ecclesiæ, hoc est *meipsum*; Deinde *Principes* Christianos, postremum *Plebem* universam.

PE. Bellam audio *comœdiam*, sed jam expecto *catastrophen*. Juvat audire, quid *Theologi* illi in *Satanæ Conciliabulo* statuerint.

JUL. Indigna, abominanda, *refugit* animus commemorare.

PE.

PE. Obsecro tam *nefanda?*

JUL. Prorsus impia, sacrilega, plusquam hæretica, quibus nisi *manibus* & *pedibus* obstitissem imo *armis* pariter, atque *ingenio*, actum fuisset de *dignitate* Ecclesiæ Christianæ.

PE. Tanto magis expecto, quæ sint ista.

JUL. Ah! horresco referens. Id agebant scelesti, ut *Ecclesiam* tot *opibus* ac tanta *ditione* florentem, ad veteres illas *sordes*, ac miseram *frugalitatem* revocarent, ut *Cardinales* qui nunc vitæ *strepitu*, quosvis antecellunt *tyrannos*, ad *paupertatem* redigerentur: ut *Episcopi* multo *contractiùs* viverent, minús *satellitum*, minus alerent *equorum*. Decreverant, ne passim *Cardinales* absorberent *Episcopatus*, *Abbatias*, *Sacerdotia*, ne quis unus plures *Episcopatus* amplecteretur. Istos qui per fas (ut ajebant) nefasque sexcenta, si possint, cumulant *Sacerdotia*, coercendos censebant, ut his essent contenti: Ne quisquã crearetur *summus Pontifex*, aut *Episcopus*, aut *Sacerdos* interventu *nummorum*, aut respectu *favoris*, aut turpis *obsequii*, sed duntaxat ex vitæ *meritis*. Quod si compertum esset, illico *submoveretur*: ut liceret *Rom. Pontificem*, palam *facinorosum*, ab *honore* depellere: ut *Episcopi* scortatores, & temulenti privarentur *administratione*. ut *Sacerdotes* palam *facinorosi*, non solum *sacerdotio* submoverentur, verum *membro* corporis mutilarentur; aliaque id genus permulta, nam omnia referre piget. Quæ prorsus eo tendebant, ut nos *onerarent* sanctimonia; divitiis & imperio *spoliarent*.

PE. Quid igitur contra hæc statuebatur in illo *Sacrosancto* concilio Romano?

JUL. Jam mihi videris oblitus id qtod dixi; me nihil aliud agere voluisse *Concilii* prætextu, nisi ut clavum clavo pellerem. *Primus* ille *Conventus* consumptis solennibus quibusdam *ceremoniis*, quas ex authoritate adhuc utcunque placet observare, etiamsi nihil ad rem pertinent, peracta *sacra* duo: alterum de *Sancta Cruce*, alterum *de S.*

 Spiritu,

Spiritu, tanquam hujus *afflatu* res ageretur; Deinde recitata *oratio* plena *laudum* mearum; proximo consessu, quanta vi potui, contorsi *fulmen* in *schismaticos* illos *Cardinales*, plusquam *impium*, plusquam *Sacrilegum*, plusquam *hæreticum* pronuncians, quicquid illud esset, quod aut jam *statuissent*, aut *statuere* pararent. PE. Itaque si forsan pœnitentia ducti statuissent te *bonum* & *præclarum* esse pontificem, *hocci* ne etiam plusquam *impium* & *hæreticum* fuisset?

JUL. Omnino; quia nulla aut *authoritate* aut *ratione* fultum. GE. Nihil verius. JUL. Quid enim illorum interfuit statuere, *qualis* esset *Pontifex Romanus*? Sed progredior. Tertio consessu eodem *fulmine* terrui *Galliam*, nundinis à *Lugduno* translatis, & *quibusdam* Galliæ *partibus* nominatim *exceptis*, quo magis alienarem à rege *plebis* amimos, & aliquam inter ipsos *seditionem* excitarem. Atque hæc statim Acta, quo plus haberet authoritatis, *bullis* prodita ad omnes misi *principes*: præsertim ad hos, quos videbam in nostram *factionem* esse propensiores. PE. At præterea nihil actum? JUL. Id actum est quod volebam: *vici*, si modo nostra valebunt *Decreta*. Tres illos *Cardinales* qui perstiterunt in cœptis *Cardinalitia* dignitate publicis *ceremoniis* privavi, sacerdotiorum census *aliis* contuli, ne facile possent restitui, ipsos tradidi *Satanæ*, libentiùs tamen *ignibus* traditurus, si in manus meas incidissent. PE. Attamen si vera narras, non paulo *sanctiora* videntur illius *schismatici conciliabuli* decreta, quam tui *sacrosancti concilii*; unde nihil adhuc video prodiisse, nisi *minas tyrannicas*, execrationes, & *astu* mixtam *crudelitatem*. Si *Satanas* fuit illius *author* Conciliabuli; propius videtur ad *Christum* accedere, quam *spiritus* ille nescio quis, qui modo vestrum moderatus est *Concilium*. JUL. Quin tu quid *loqueris* etiam atque etiā vide. Nam omnibus bullis meis execratus sum omnes, quicunque illi *conciliabulo* quocunque modo *faverint*.

PE. Miser ut adhuc *veterem* illum spiras *Julium*! Sed quis tandem hujus *exitus* negotii? JUL. Hoc

equidem in statu reliqui, quorsum evasurum, viderit *fortuna*. PE. Nimirum *schisma* manet. JUL. Manet, & quidem *periculo sissimum*. PE. Et tu quidem Christi vicarius *schisma* maluisti, quam *verum* Concilium?

JUL. Vel trecenta *schismata* potius, quam me velim in *ordinem* cogi, & ad totius *vitæ* reddendam *rationem* adigi. PET. Ita tibi conscius JUL? Quid id tua? PE. Intelligo. Non expediebat eam commoveri *camerinam*, sed penes utros erit victoria?
JUL. Istud *fortunæ* est in manu. Quanquam â *nobis* plus est *pecuniarum*. *Gallus* exhaustus est diutinis jam *bellis*. *Anglus* auri *montes* habet *intactos* adhuc, Illud indubitato possum vaticinari; si *Gallus* vicerit, id quod abominor, *vertentur* rerum nomina, *sacrosanctum* illud Concilium, *Sathanæ* conciliabulum erit; Ego *idolum* pontificis, non *Pontifex*: penes illos *Spiritus sanctus* erit, nos spiritu *Satanæ* fecerimus omnia. Verum mihi ingens *fiducia* est in relictis *pecuniis*, ne hæc fiant. PE. At quid rei tandem incidit adversus *Gallos*, & horum *Regem*? qnem vestri majores *Christianissimi* titulo decorarunt, præsertim cum illorum *præsidiis* fatearis & *vixisse* te, & ad istam plusquam *imperialem* coronam evectum. Denique *Bononiam*, & reliquas *urbes* recepisse, domuisse *Venetos* omnibus invictos. Quomodo *tot*, tá *recentium* meritorum abolita memoria? Quomodo tot decissa *fœdera*? JUL. Istam explicare *fabulam* perlongum fuerit. Verû ut summatim dicam, nihil à me *novatum* est, sed quod jam *olim animo* parturieram, tum parere *cœpi*: quod *antea*, rebus ita poscentibus, *dissimularam*. tunc *aperui*. *Gallis* nunquam ex animo *bene volui*; hæc tibi de *Tripode* dictum puta; Nec ullus *Italus* ex animo bene vult *Barbaris*, non Hercule magis, quam *lupus* agnis. Sed ego non Italus modo, verumetiam *Genuensis*, tantisper illis utebar *amicis*, dum opus esset illorum *ministerio*. Quandoquidem hactenus utendum est opera *Barbarorum*, Interea multa *tuli*, multa *dissimulavi*, multa *finxi*: Denique nihil non & *feci*: & *passus* sum. Verum ubi jam *Res* in eum

propemodum *locum* deductæ sunt, in quem *volebam*, supererat ut vere *Julium* agerem; totamque illam *Barbarorum* fæcem Italia submoverem. PE. Cujusmodi *belluæ* sunt isti, quos vocas *Barbaros*? JVL. *Homines* sunt. PE Homines igitur, at non *Christiani*? JU. Et *Christiani*, sed quid hoc ad rem pertinet? PE. Ergo Christiani quidem, sed absque *literis*, agrestem degentes vitam? JUL, Imo rebus *istis* maxime *florent* illi: quin insuper, id quod illis imprimis invidemus, *opibus*. PE. Quid igitur sibi vult *Barbari* cognomen? Quid mussas? GE. Dicam hujus vice. *Itali* cum sint ex omni *barbarissimarum* Nationum *colluvie* conflati, confusique, non aliter quam *sentina* quædam; tamen è Gentilium literis, hanc imbiberunt insaniam, ut extra *Italiam* natos *Barbaros* appellent, Quod quidem *Cognominis*, apud illos contumeliosius est, quam si *parricidam* dicas, aut *sacrilegum*. PE. Ità videtur. Atqui cum pro *omnibus* hominibus *mortuus* sit *Christus*, nec apud illum sit *ullius* personæ *respectus*; cumque *tu* Christi *vicarium* profiteris, cur non *omnes* complectebaris *eodem* animo, quos non *discrevit* ipse Christus? JUL. Equidem & *Indos*. & *Afros*, & *Æthiopes*, & *Græcos* complecti cupiam, si modo *numerent*, & Principem agnoscant *vectigalibus*. Verum hos omnes recidimus; & proxime *Græcos*, quod homines nimium *tenaces*, parum agnoscerent Romani Pontificis *majestatem*. PE. Ergo *Romana* sedes totius orbis veluti *horreum* est? JUL. Magnum vero, si omnium *metamus* carnalia, cum omnibus nostra *spiritualia* seminemus? PE. Quæ narràs *spiritualia*? Nam adhuc quidem præter *mundana* nihil audiò. Fortasse *doctrina* sacra trahis ad *Christum*. JU. Sunt qui *concionentur* si velint, nec eos *prohibemus*, modo ne quid dicant adversus *Majestatem* nostram. PE. Quid igitur? JUL. Quid igitur? Cur *Regibus* datur quicquid exegerint? nisi quia his *acceptum* referunt singuli, quicquid *possident*, etiamsi nihil ab illis *acceperint*. Ita quicquid est *sacri* uspiam, *nobis* imputandum est, etiamsi totam *stertamus* vitam: Quanquam præter ista largissime donamus

namus *indulgentias* exigua pecuniola, *dispensamus* in rebus graviſſimis non *maxima* ſumma, paſſim omnibus obviis *benedicimus*, idque *gratis*. PE. Equidem nihil horum inteligo. Sed redi ad id quòd inſtitutum erat: quam ob rem tua ſanctiſſima *majeſtas* tantopere *Barbaros* horreat, ut cœlum terræ miſcendum duxeris, quo illos ab *Italia* depelleres. JUL. Dicam: *ſuperſtitioſius* eſt cum omne *Barbarorum* genus, tum præcipue *Gallorum*, Nam cum *Hiſpanis* non peſſime nobis convenit, ſive *linguam* ſpectes, ſive *mores*: Quamquam *hos* quoque ſubmotos volebam, quo prorſus nobis liceret *more* noſtro agere. PE. Colunt præter *Chriſtum* & alios *deos*? JUL. Imo *Chriſtum ipſum nimis anxie* colunt. *Antiquis* quibuſdam & jampridem *obſoletis* vocabulis, mirum eſt, quam adhuc homines *ſtultiſſimi* permoveantur. PE. Forte *magicis*. JUL. Nugaris: imo *ſimonia*, *blaſphemia*, *Sodomia*, *veneficio*, *ſortilegio*, PE. Bona verba. JUL. Itidem ut tu nunc abominaris, & iſti. PE. Omitto nomina: *res* ſunt apud *vos*, ne dicam apud ullos *Chriſtianos*? JUL. Sane *Barbari* non ipſi vacant *vitiis*, ſed cum *diverſis* laborent, *noſtra* execrantur, *ſuis* blandiuntur: Nos contra *noſtris* blandimur, *illorum* abominandum *probrum* ducimus, ac per fas, nefaſque fugiendum, *paupertatem*: illi vix *Chriſtianum* eſſe exiſtimant *opibus* frui ullis, vel ſine *fraude* quæſitis. Nos *ebrietatem* nec nominare audemus (quamquam *hac* quidem in parte, non ita vehementer ab illis *diſſentiam*, ſi cætera *conveniant*) at *Germani* leve putant *erratum*, & *feſtivum* magis quam *ſceleratum*. *Uſuram* vehementer execrantur illi, at apud nos nullum hominum genus æque *neceſſarium* eccleſiæ Chriſti. Venerem *præpoſteram* uſque adeo ſpurcam ducunt illi, ut ſi quis vel *nominet* modo, & *aerem* & *ſolem* exiſtiment *pollui*: nobis longe *diverſa* ſententia eſt. Item *ſimonia*, jam olim è rerum natura ſublatum *vocabulum*, velut *Umbram* adhuc formidant illi & *antiquatas* jam veterum *leges* mordicus tenent. Nos alio ſpectamus. Atque hujuſmodi permulta ſunt alia, in quibus *nobis* non convenit cum *Barbaris*: proinde cum jam ſimus tam diſſimili *vitæ* inſtituto, procul arcendi

sunt à *nostris mysteriis*, magis suspecturi si *nesciant*. Nam si semel intellexerint *arcana* Curiæ nostræ, protinus *evulgant*: & nescio quo pacto ad vitia deprehendenda sunt *oculatissimi*: scribunt *maledicentissimas* ad suos *literas*. Clamitant passim, apud nos non esse *sedem* Christi, sed *sentinam* Satanæ. De me disputant, num sic *assecutus* Pontificium, sic *vivens*, pro *Pontifice* sim habendus. Atque ita primum minuunt nostram apud ignotos sanctitatis *opinionem*, simul & *authoritatem*, qui antea nihil de nobis audierant, nisi quod *Christi* vicem gereremus, & *proximam*, atque adeo *parem* Deo *potestatem* teneremus. Atqui his è rebus intolerabilis ecclesiæ Christi *jactura* nascitur. Dispensationes & *pauciores*, & *minoris* vendimus: Minor *census* redit *ex Episcopatibus*, & *Sacerdotiis*, & *Abbatiis*; Vulgus si quid exigitur, *malignius* dat: Breviter; undecunque *parcior* quæstus, & *steriliores* nundinæ. Postremo *fulmina* quoque nostra minus ac minus horrent. Quod si semel eo processerint *audaciæ*, ut dicant *sceleratum* Pontificem nihil agere, ac fulmen minasque *contempserint*; nobis ad *famem* plane redierit res. Quod si procul abfuerint, (ita *ingenium* est Barbarorum) *impensius* venerabuntur, nosque literis *commode* scriptis, ex animi sententia *rem* geremus. PE. Non optime vobiscum agitur, si hinc pendet authoritas *Apostolica*, ut *vita* ignoretur, nesciantur *techna*? Nos nihil aliud optabamus, nisi ut universis esset *cognitum*, quicquid vel in *cubiculis* ageremus. Atque ita demum plurimi *fiebamus*, si vere *innotuissemus*. Verum illud expedi: Adeo religiosos *Principes* nunc habet *Mundus*, tantaque est apud illos *sacerdotum* reverentia, ut ad *unius*, atque adeo *talis* nutum, ad *arma* descenderint *universi*? Nam meis quidem temporibus, *hos* infestissimos *hostes* patiebamur. JUL. Quantum ad *vitam* attinet, non sunt admodum *superstitiosi* Christiani: Nos plane *contemnunt*, ac pro *nugamentis* habent: nisi quod aliquot ex his infirmiores nonnihil metuunt terrificum illud fulmen *Excommunicationis*; Nec hi tamen perinde *re* atque *opinione* commoventur. Sunt qui nostras *opes* vel *sperant*,

vel

vel *metuunt*: eoque nonnihil nostræ deferunt *Authoritati*. Quibusdam persuasum, ingens aliquod *infortunium* manere hos, qui sacerdotibus *quantibuscunque* negotium facessunt. Omnes ferme, ut sunt *Civiliter* educati, nonnihil tribuunt *Ceremoniis*, præsertim à nobis provocati. Nam *Ceremoniæ* ceu *fabulæ* quædam *vulgo* dantur: Cæterum res interim serio agitur. Nos illos magnificis *Titulis* decoramus etiamsi sint scelerattissimi. Hunc *Catholicum* appellamus, Illum *Serenissimum*, alium *Illustrissimum*, alium *Augustum*, omnes *dilectos Filios*, nominamus: illi vicissim nos *sanctissimos Patres* in suis literis vocant: & aliquoties ad oscula *pedum* se submittunt: & ubi non multum negotii vertitur, cedunt nonnunquam *Authoritati nostræ*, quo sibi *pietatis* opinionem apud *vulgus* parent. Nos illis *Rosas* mittimus *consecratas*, *Tiaras*, *Gladios*, & illorum *Dignitatem* maximis *bullis* confirmamus: Illi vicissim mittunt *equos*, *milites*, *pecuniam*, nonnunquam & *Pueros*; atque ita mutuum (quod ajunt) *muli* scabunt. PE. Si tales sunt, nondum intelligo quo pacto potueris summos *Reges* ad gravissima *bella* concitare præsertim *ruptis* tot *fœderibus*. JUL. Atque si nunc assequi possis ea quæ dicam, intelliges *ingenium* plusquam *Apostolicum*. PE. Admirar equidem quoad potero. JUL. Illud in primis mihi studio fuit, omnium *Gentium*, ac præcipue *Principum* ingenia, mores, affectus, opes, & conatus pernosse, cui cum quo *conveniat*, cui cum quo *dissidium* sit: deinde his omnibus ad nostram *commoditatem* uti. Principio *Gallos* facile concitavimus in *Venetos*; quod inter hos intercederet *vetus* atque *antiqua* simultas.

Deinde sciebamus eam *gentem* avidam imperii *prorogandi*: Et *Veneti* illorum quoque nonnullas *urbes* occuparant. Itaque *meum* negotium, cum *illorum* negotio miscui. Tum Imperator, quanquam alioqui non admodū amicus *Gallo*, tamen quia non erat spes à *Venetis* recipiendi, quæ tenebant (tenebant autem *Urbes* aliquot egregias) pro tempore se *huic bello* adjunxit. Deinde quum non placeret *Gallos* supra modum cresce-

te (res enim successerat *felicius* quam volebam) *Hispaniarum* etiam Regem in eos extimulavi, primum hominem, non fidei *adamantinæ*, deinde cujus magnopere *referebat*, utcunque premi *Gallorum* potentiam; cum ob alia multa, tum præcipue, ne quando ditione *Neapolitana* excluderetur: Ad hæc, *Venetos*, tametsi non probarem, *ficte* tamen in *Gratiam* recepi, ut hos quoque recentis cladis dolore exacerbatos in *Gallos* immitterem. Rursum *Imperatorem*, quem paulo ante cum Gallis *conjunxeram*, ab illis *distraxi*: idque partim *pecuniis*, quæ apud hominem *egentem* semper valent plurimum; partim *literis*, & *nunciis*, renova to veteri in *Gallos* odio, quo vir ille mirum quam semper *flagrarit*, etiamsi deerat ulciscendi *facultas*. Jam Anglos sciebam *genuino* odio esse in *Gallorum* Gentem; atque iis conjunctissimos *Scotos*: Ad hæc; intelligebam Nationem *praeferocem*, & belli *cupidam*, idque potissimum *prædandi* spe: tum etiam *superstitiosam* aliquantulum, quod longissime absit a *Roma*: Postremo id temporis, *nova* libertate (quæ tandem illis morte *Regis* omnium *severissimi* contigerat) *insolentes*, ac pene *tumultuantes*: ut facile jam possent ad quamvis *insaniam* extimulari. Quodque maxime volebam, Accessit ad *opportunitatem* rerum mearum; *Rex* admodum *adolescens*, vel *puer* potius, & nuper *regno* potitus, *ingenio* acri vividoque, ac vere juvenili, hoc est, inquieto & bellicoso; nec *ætate* tantum *ambitiosus*, & ad res non mediocres erectus; Quin jam tum à primis annis huc spectasse dicebatur, ut *Gallos* adoriretur *armis*. Super omnia, *affinis* erat *Hispano Regi*, quem jam ad *arma* traxeram. Hisce rebus omnibus usus sum ad *Ecclesiæ* commoditatem, Ac sexcentis *literis*, non absque *ingenio* scriptis, tandem involvi *principes* bello omnium gravissimo. Neque vero quemquam cæterorum *intentatum* reliqui, neque Regem *Hungarorum*, neque *Lusitaniæ*, neque *Burgundionum*, Regibus parem, *Ducem*. Verum quia ad hos nihil harum rerum attinebat, *perpellere* non quivi; & sciebam, *tumultuantibus* illis, neminem cæterorum *quieturum*. Hi igitur quum suo morem

gererent

gererent animo, tamen honestissimum *titulum* acceperunt à nobis, ut quo majorem *cladem* inferrent populo *Christiano*, hoc *religiosius* viderentur *Ecclesiam* Dei *protegere*. Atque ut magis admireris vel *ingenium* meum, vel *felicitatem*, belligerabatur id temporis *Hispaniæ* Rex cum *Turcis* incredibili rerum *successu*, maximoque suo *quæstu* : & tamen illis omnibus omissis, in *Gallum* universas vires convertit. Ad hæc, *Imperator* non *fœderibus* modo multis, verumetiam *beneficiis* immensis devinctus erat *Gallis*, vel hoc nomine, quod horum sumptu operaque suas in *Italia* Civitates recepisset. Et *hic* erat quod ageret, nempe ut *sua* tueretur, Jam enim *Patavium* desciverat; & in *Burgundia*, nempe ut *Geldrios* hostes gravissimos (in quos belli suscipiendi fuerat author) à Nepote suo Burgundionum *Principe* depelleret. Et sic effeci, ut, *suis* omissis, *meum* agerent nogotium. Cum nulla *Gens* est, apud quam minus valeat *summi* Pontificis *Authoritas*, quam *Anglorum*(id quod protinus liquebit, siquis divi Thomæ *Cantuariensis Episcopi* vitam, ac veterum *Regum* constitutiones evolverit) ea tamen *Gens* alioqui *exactionum* impatientissima, passa est propemodum se *deglubi*. Mirum autem quomodo *sacerdotes* quoque, qui *nobis* consueverant quicquid possunt *subtrahere*, eo adduxerim, ut *Regi* tributum numerarent, haud perpendentes cujusmodi *fenestram* Regibus *aperuerint*. Quanquam nec ipsi *Reges* satis animadvertebant, quod *exemplum* induxerint adversus *seipsos*. Nempe ut liceat postea *Ro. Sacrifico* regno movere, quem oderit *principem*. Et *Rex* adolescens majori etiam *motu* rem aggressus est quam *volebam*, aut quam *jusseram*: tametsi malebam in hanc peccari partem. Jam vero longum fuerit explicare sigillatim, quibus *artibus* eos *Principes* ad tam periculosum *bellum* excitarim in *Christianos*, quos nullus unquam *Pontifex* vel in *Turcas* potuit excitare. PE. At fieri potest, ut bellorum *incendium* per te suscitatum, universum denique *mundum* corripiat. JUL. Corripiat sane, modò *Romana* sedes *Dignitatem*, & *Possessiones* tueatur suas; Tametsi conatus sum omnem *belli* mo-

lem ab *Italia* in *Barbaros* rejicere: dimicent illi quantum libet, nos *ſpectabimus*, & fortaſſis illorum *fruemur* inſania. PE. Pertinent hæc ad *Paſtorem* & Patrem *ſanctiſſimum*, & Chriſti *Vicarium*? JUL. Cur excitant *ſchiſma*? PE. Atqui peccata nonnunquam *ferenda* ſunt, ſi plus malorum à *medela*. Deinde ſi tu *Concilium* admiſiſſes, non erat locus *ſchiſmati*. JUL. Bona verba. Ego ſexcenta *bella* malim, quam *Concilium*. Quid ſi me ſubmoviſſent à *Pontificio*, veluti *ſimoniacum*, & *negotiatorem* Pontificii, non *Pontificem*? Quod ſi omnem *vitam* meam perdidiciſſent, prodidiſſentque in *vulgus*? PET. Etiam ſi *verus Pontifex* eſſes, tamen ſatius erat *honori* cedere, quam tantis orbis *Chriſtiani* malis tuam *Dignitatem* tueri. Si modo *Dignitas* eſt Epiſcopatus *indigno* commiſſus, ac ne *commiſſus* quidem, ſed *emptus*, & *arreptus*. Unde illud mihi obiter venit in mentem, te conſilio quodàm divino *Gallis* extitiſſe *peſtem*, qui prius *Eccleſiæ* te *peſtem* invexerunt.

JUL. Per triplicem *Coronam* meam juro, perque meos clariſſimos *triumphos*, ſi mihi bilem moveris, ſenties & tu vim *Julii*. PE. O Phreneticum! Verum hactenus nihil audio, niſi *Ducem*, non *Eccleſiaſticum*, ſed *Mundanum*, nec mundanum tantum, ſed *Ethnicum*, Imo Ethnicis *ſceleratiorem*. Gloriaris te plurimum potuiſſe ad *diſcindenda* bella, ad ſtrages hominum *excitandas*: Iſta *Satanæ* poteſtas eſt non *Pontificis*. Qui Chriſti *vicarium* ſe facit, eum oportet ad illius *exemplar* quam proxime accedere: Eſt in illo ſumma *poteſtas*, ſed cum ſumma *bonitate* conjuncta; eſt ſumma *ſapientia*, ſed *ſimpliciſſima*. In te poteſtatis *imaginem* video, cum ſumma *malitia*, ſummaque *ſtultitia* copulatam. Quod ſi *malorum* princeps *Diabolus*, *vicarium* ſibi cupiat ſubrogare, quē potius aſciſcat, quam *tui* ſimilem? Dic ubi virum *Apoſtolicum* egeris? JUL. Quid magis *Apoſtolicum*, quam augere Chriſti *Eccleſiam*? PE. Atqui ſi Eccleſia eſt populus *Chriſtianus*, Chriſti ſpiritu *conglutinatus*, ſubvertiſſe mihi videris *Eccleſiam*, qui *orbem* univerſum ad teterrima *bella* concitaris, quo tu *impune* malus & peſtilens

lens esses. JUL. *Nos Ecclesiam* vocamus sacras *ædes, sacerdotes*, & precipue *Curiam* Romanam, me imprimis, qui *caput* sum *Ecclesiæ*. PE. At *Christus* nos *ministros* fecit, se *caput*: nisi nunc *secundum* caput accreverit, sed quibus tandem aucta est *Ecclesia*? JUL. Nunc ad rem accedis; itaque dicam: Illa olim *famelica* & *pauper* Ecclesia, nunc adeo floret *ornamentis* omnibus. PE. Quibus? ardore *fidei*? JUL. Obtundis.

PE. Contemptu *mundi*? JUL? Sine me dicere, *veris* inquam ornamentis, nam istæc *verba* sunt.

PE. Quibus igitur? JUL. *Palatiis* regalibus, *equis* & *mulis* pulcherrimis, *famulitio* frequentissimo, *copiis* instructissimis, *satellitiis* exquisitissimis.

GE. *Scortis* formosissimis, *lenonibus* obsequentissimis. JUL. *Auro, purpura, vectigalibus*: ut nullus *Regum* non *humilis* ac *pauper* videatur, si cum Ro. *Pontificis* opibus, strepituque conferatur: nemo tam *ambitiosus*, quin se *victum* agnoscat; nemo tam *lautus*, quin suam condemnet *frugalitatem*: nemo tam *numatus* nec *fœnerator*, quin nostris invideat *opibus*. Hæc inquam ornamenta & *tutatus* sum, & *auxi*.

PE. Sed dicito mihi: quis omnium primus istis ornamentis & *inquinavit* & *oneravit* Ecclesiã, quam Christus *purissimam* pariter & *expeditissimam* esse voluit? JUL. Quid istud ad rem attinet? Certe, quod est *caput*, tenemus, possidemus, fruimur: quanquam aiunt *Constantinum* quondam universam *Imperii* sui *majestatem* in *Sylvestrum* Ro. Pontificem transfudisse, Phaleras, equos, currus, galeam, balteum, paludamentum, satellitium, enses, coronas aureas, & auri quidem purissimi, exercitus, machinas bellicas, urbes, regna. PE. Et extant istius munificentiæ certa *monumenta*? JUL. Nulla præter *Paleam* unam *Decretis* admixtam. PE. *Fabula* fortassis est. JU. Id vel ex *meipso* conjicio. Quis enim sanus, tam magnificum *imperium* cederet vel *Patri*? sed tamen valde *libet* credere, & *curiosis* hæc refellere conantibus *silentium* magnum nimis indicimus. PE. Atqui nihil adhuc audio, nisi *Mundum*. JU. Tu fortasse *veterem* illam *Ecclesiam* adhuc somnias, in qua tu cum *famelicis* aliquot *Episcopis* frigidum sane *Pontificem*

Palea *notat Commentum quodvis Addititiũ ad Decreta* Gratiani.

tificem

tificem agebas, paupertati, sudori, periculis, ac mille *obnoxius* incommodis : Jam *ætas* in *melius* commutavit omnia. *Alia* longe res nunc est *Ro. Pontifex*. *tu nomine* rituloque duntaxat eras *Pontifex*. Quid si nunc videres tot *sacras* ædes *Regiis* extructas opibus, tot ubique *Sacerdotum* millia, plerosque *censu* amplissimo, tot *Episcopos*, armis & opibus, summis pares *Regibus*, tot *splendidissima* Sacerdotum *palatia*; præcipue vero, si *Romæ* videas tot purpuratos *Cardinales*, legionibus *famulorum* stipatos, tot *equos* plusquam *Regios*, tot *mulos* bysso, auro, gemmis *ornatos*, aliquot *solcis* etiam *aureis* & *argenteis* calceatos: Jam si *summum* Pontificem conspiceres, sublimem in *aurea* sella militum *humeris* vehi; ad manum *motam* passim omnes *adorantes*. Si crepitum audires *bombardarum*, si clangorem *trubarum*, si bombos *elassicorum*, si fulmina *machinarum* videres, si *populi* applausus, acclamationes, si omnia *tadis* collucentia, si *summos* etiam *Principes* ad beatorum oscula *pedum* vix admitti : Si spectasses *Ro.* illum *Sacerdotem* pede *coronam* auream imponentem *Imperatori Romano*, qui *Rex* est regum omnium (si quid modo valerent jura scripta) quanquam nihil jam obtinet, nisi magni Nominis *umbram*: *Hæc* inquam si vidisses, audissetque quid tandem diceres ?

PE. *Tyrannum* plus quam *mundanum* videre me, Christi *hostem*, Ecclesiæ *pestem*, JU. Secus loquereris, si vel unum meorum *triumphorum* spectasses, vel eum quo *Bononiam* sum invectus, vel quem egi *Romæ* subactis *Venetis* egi; vel quo *Bononia* fugiens *Romam* sum revectus: vel quem hic egi postremum, *Gallis* preter omnem spem *füsis* apud *Ravennam* si *mannos*, si *caballos*, si *militum* armatorum aciem, si *ducum* ornamenta, si delectorum *spectacula* puerorum, si *faces* undique *lucentes*, si *ferculorum* apparatum, si *pompam* Episcoporum, si Cardinalium *fastum*, si *trophæa*, si *manubias*, si in cœlum *reboantes* plebis ac militum *acclamationes*, si *plausu* perstrepentia omnia, si *lituorum* cantum, *tubarum* tonnitrua, *bombardarum* fulmina, *sparsos* in populum *nummos*, si *me*, veluti *Numen* quoddã, sublimẽ ferri *spectasses* totius pompæ *Caput* & *Authorem*, tum Scipiones, Æmilios

lios, Auguſtos, *ſordidos* ac *frugales* dixiſſes præ *me*. PE. Ohe, ſatis triumphorum; *glorioſiſſime* miles, immo illos, licet Ethnicos, *odio* tui, *complector*, qui cæſis tua cauſa tot *Chriſtianorum* millibus, *triumphos* agebas *ſanctiſſimus* in Chriſto *Pater*, tot legionibus *interitus* author extitiſti, qui ne unam *animulam*, neque *verbo*, neque *vita* Chriſto lucrifeceris. O Paterna *viſcera*, O dignum Chriſti *Vicarium*, qui ſemetipſum impendit ut omnes ſervaret. Tu ut *unum* peſtilens defenderes *caput* totiùs *orbis* exitium accerſiſti.

JUL. Iſta loqueris, qnod invideas *gloriæ* noſtræ, dum perſpicis quam *humilis* fuerit tuus *Epiſcopatus* cum *noſtro* collatus. PE. Audes impudens *tuam* gloriam cum *mea* conferre? Tametſi *mea* gloria, *Chriſti* gloria eſt, non *mea*. Primum omnium ſi mihi das Chriſtum *optimum* eſſe, *verumque* principem Eccleſiæ, ipſe mihi *claves* regni dedit, ipſe paſcendas *oves* commiſit, ipſe meam *fidem* ſuo *præconio* approbavit: te *pecunia*, te *ſtudia* mortalium, te *fraudes* fecere *Pontificem*, ſi modo *pontifex* is appellandus eſt. Ego tot *animarum* millia *Chriſto* lucrifeci: tu tot in *exitium* traxiſti: Ego *Romam* antea *Gentilem*, primus *Chriſtum* docui: tu *Chriſtianæ* jam *Gentilitatis* extitiſti *magiſter*, Ego vel *Umbra* corporis ſanabam *ægrotos*, liberabam à *dæmonio* vexatos, ad *vitam* revocavi *defunctos*, & quacunque incederem *beneficiis* implebam omnia. Quid ſimile *tui* habuere *triumphi*? Poteram *verbo* quem voluiſſem tradere *Satanæ*: & quantum potuerim, experta eſt *Sapphira* cum ſuo *marito*, Tamen quicquid habebam *Poteſtatis*, in *utilitatem* omnium conſumpſi. Tu omnibus *inutilis*, ſi quid *poteras*, immo, & quod *non* poteras, ad publicam orbis *perniciem* vertiſti, JUL. Demiror, cur in catalogo *gloriarum* tuarum non *hæc* etiam addis, *pauperiem*, *vigilias*, *ſudores*, *tribunalia*, *carceres*, *vincula*, *probra*, *plagas*, *cruces* denique.

PE. Recte admones, Nam *iſtis* de *rebus* juſtius gloriabor, quam de *miraculis* : *horum* nomine Chriſtus nos juſſit *gaudere* & *exultare* ; *horum* nomine nos *beatos* vocavit. Ita *Paulus*, collega quondam meus, cum ſua jactat *facinora*, non commemmorat urbes *ar-*

mis expugnatas, non legiones *ferro* cæsas, non orbis Principes ad *bella* concitatos, non fastus *Tyrannicos*: *naufragia, vincula, flagra, pericula, insidias*: hic est *triumphus* vere *Apostolicus*, hæc est *gloria* Christiani Ducis: Jactat ille quos ab *impietate* retraxerit, non quot *ducatorum* millia congesserit. Denique *nos* cum Christo perpetuum jam agentes *triumphum* laudibus prosequuntur & *mali*: Te nemo non *execrabitur*, nisi vel tui *similis*, vel *adulator*. JUL. Rem *inauditam* audio. PET. Credo; nam qui tibi fuisset *otium* Evangelicas evolvere literas, *Pauli* measque Epistolas lectitare, tot legationibus, tot fœderibus, tot rationibus, tot triumphis *occupato*? At *cæteræ* quidem *Artes* omnes *animum* desiderant sordidis *vacuum* curis: *Christi* vero *disciplina*, pectus requirit ab omni *contagio* terrenæ solicitudinis *purgatissimum* Nec enim *tantus* Magister e *cælo* descendit in *terras*, ut *facilem* aliquam, aut *vulgarem* Philosophiam traderet *mortalibus*. Non *otiosa*, neque *secura* professio est, esse Christianum: *voluptates* omnes ceu *venenum* aspernari, *Divitias* perinde ut *lutum* calcare, vitam pro *nihilo* ducere, Hæc est *Christiani* hominis professio. Hæc quoniam *intoleranda* videntur, iis qui non *Christi* spiritu aguntur, ad *inania* quædam vocabula *merasque* Ceremonias deflectunt, & factitio *capiti* Christi, factitium addunt *corpus*. JUL. Quid tandem mihi *boni* reliquum facis, si me *nummis* exuis, Si *Regno* spolias, si nudas *fænore*, si *voluptatibus* abdicas, si *vita* denique prives? PE. Quin tu igitur *ipsum* Christum *infælicem* pronuncias, qui, cum esset omnium summus, *ludibrium* factus est omnium: in paupertate, sudoribus; jejuniis, in fame vitam omnem peregit: denique *morte* omnium *probrosissima* defunctus est. JUL. Inveniet fortasse qui *laudet*, qui *imitetur*, neminem, his sanè temporibus. PE. Atqui hoc ipsum denique *laudare* est *imitari*. Quanquam Christus non orbat suos *bonis*, sed pro *falsis* bonis, *veris*, & *æternis* locupletat; at non *locupletat* nisi prius omnibus hujus *mundi* bonis *abdicatos* ac *repurgatos*. Ut *ipse* totus erat *cælestis* ita *corpus* suum, hoc est, *Ecclesiam* sui simillimam esse

voluit.

i. e. à *mundi* contagiis alienissimam. Alioqui qui posset esse *idem* cum illo, qui sedet in *cœlis*, si *terrenis* adhuc fæcibus *immergatur*? Verum ubi fuerit excussum ab omnibus *mundi commodis*, atque etiam, quod amplius est, *affectibus*: Tum denique Christus *suas* explicat *opes*, pro relictis *mellitis* immo multa *aliæ* tinctis voluptatibus, *cœlestium* gaudiorum *gustum* impertit; pro *relictis* opibus, longe *præstantiores* elargitur. JUL. Quas obsecro? PE. Ni tu *vulgares* opes putas, *Prophetiæ* donum, donum *Scientiæ*, donum *Miraculorum*: Nisi *vilem* putas *Christum* ipsum, *quem* quisquis *habet*, in ipso *possidet* omnia: Postremo, nisi *nos* hic *pauperem* agere *vitam* putas. Ita quo quisque in mundo est *afflictior* hoc uberius *deliciatur* in Christo: quo in mundo *pauperior*, hoc in Christo *locupletior*: quo in mundo *dejectior*, hoc in illo *sublimior* & *honoratior*: quo *minus* vivit in mundo, hoc *magis* vivit in Christo. Verum cum totum *corpus* suum purissimum esse voluit Christus, tum præcipue *ministros*, hoc est *Episcipos*; & inter hos, quo quisq; *major* est, hoc sit Christo *similior*, & ab omnibus mundi commodis *expeditior* & *exoneratior*: Nunc contra video, eum qui Christo *proximus*, atque adeo *par* haberi vult, omnium maxime rebus sordidissimis *immersum*, pecuniis, ditionibus, copiis, bellis, fœderibus, ut ne quid interim de *vitiis* dicam. Et postea cum sis *alienissimus* à Christo, Christi tamen *titulo* ad tuam abuteris *superbiam*: & illius *prætextu*, qui Regnum *mundi* despexit, *mundanum* Tyrannum agis: &, *verus* Christi *hostis*, exigis *honorem* Christo *debitum*: *Benedicis* aliis, ipse *maledictus*: *Aperis* aliis cœlum, unde ipse procul *exclusus* es: *Consecras* execratus: *Excommunicas*, cui nihil est cum sanctis *commune*. Quid enim inter *te* & *Turcarum* interest *Ducem*, nisi quod tu Christi *vocabulum* prætexis? Certe *mens* eadem, consimiles *vitæ* sordes, Tu major orbis *pestis*. JUL. At ego cupiebam *Ecclesiam* omnibus *bonis* exornatam: Et Aristotelem ajunt tres *bonorum* ordines constituere; quorum quædam sunt *fortunæ*, quædam *corporis*, quædam *animi*: Itaque nolebam bonorum *ordinem* invertere

A *fortunæ* bonis cœpi;fortaſſe paulatim ad *animi* bona venturus, niſi *præmatura* mors terris me eripuiſſet. PE. *Præmatura* ſane, nempe *ſeptuagenarium:* quanquam quid opus erat aquam *igni* miſcere ? JUL. Atqui ſi *deſunt* iſta commoda, vulgus nos non *pili* faceret. Quin nunc quoque *metuunt* & *oderunt*. Atque ita tota *reſpub*. Chriſtiana *collaberetur*, ni contra vim inimicorum ſeſe *tueri* queat. PE. Imo ſi Chriſtianorum *vulgus* conſpiceret in te *veras* Chriſti *dotes*; ſi nempe vitæ *ſanctimoniam*, *ſacram* doctrinam, charitatem *flagrantem*, *prophetiam*, *virtutes*: hoc te magis *ſuſpiceret*, quo à *mundi* commodis intelligeret *mundiorem*. Et Chriſtiana reſpub. latius floreret, ſi *puritate* vitæ, ſi *contemtu* voluptatum, divitiarum, imperii, mortis, *gentilibus* eſſet *admiranda*. Nunc non ſolum contracta eſt in *anguſtam*, verum etiam, ſi diligentius excutias, pleroſque *nomine* duntaxat invenies *Chriſtianos*. Quæſo te, non reputabas tecum, cum eſſes *ſummus* Eccleſiæ *Paſtor*, quibus modis *nata* eſſet *Eccleſia*, quibus *aucta*, quibus *conſtabilita* ? Num *bellis*, num *opibus*, num *equis* ? Imo *patientia*, *ſanguine* martyrum & noſtro, *carceribus*, *flagris*. Tu Eccleſiam dicis *auctam*, cum humana *ditione* onerati ſunt illius *miniſtri* : *Ornatam* vocas, cum mundi muneribus ac deliciis *inquinatur*: *Defenſam* appellas, cum pro ſacerdotum *peculio* mundus univerſus *bellis* perniciſioſſimis *conflictatur* : *Florentem* dicis, cum mundi voluptatibus *ebria* eſt: *Tranquillam*, cum, nemine reclamante, *divitiis*, imo *vitiis* fruitur. Atqui his *bracteatis* titulis *Principibus* impoſuiſti : qui, te præceptore docti, magna ſua *latrocinia* ac furioſos *conflictus*, Chriſti *defenſionem* vocant.

JUL. Atqui iſta nunquam antehac audivi. PE. Quid igitur *docebant te concionatores*? JUL. Ab illis quidem nihil niſi meras *laudes* audiebam, *phaleratis* verbis mea *præconia* detonabant, me *Jovem* fulmine concutientem omnia, me verum quoddam *Numen* eſſe prædicabant, publicam orbis *ſalutem*: aliaque id genus permulta. PE. Nec mirum ſane, nullum extitiſſe qui te *condiret* : cum tu *ſal* eſſe *inſulſus* & *fa-*

tuus. Nam id proprium *Apostolici* viri munus, *alios* docere Christum, idque purissime. JUL. Non *aperis* igitur? PET. *Cuivis* potius quam tali *pesti.* Nam *tibi* quidem omnes *excommunicati* sumus. Sed, vis *consilium* non malum? habes *manum* hominum strenuorum: habes *pecuniam* immensam: es ipse bonus *ædificator*: extrue tibi novum aliquem *paradisum*, sed probe *munitum*; ne possit à *cacodæmonibus* expugnari. JUL. Imo faciam quod me *dignum* est: operiar *menses* aliquot: & *auctis* copiis meis, vi *deturbabo* vos illinc; nisi in *deditionem* venietis. Neque enim dubito quin brevi sint ad me è bellorum stragibus LX hominum millia perventura. " Itaque si *Sapis*, Petre, *aperias* nunc " *ultimum* monenti. PE. Multum sanè *tuæ* debe-" mus *Clementiæ* (qua non admodum *inclaruisti* in " Terris) *fulguranti* toties antequam *fulmines*, *monenti* " priusquam *ferias*: Ego vero suaderem (si me audis) " ut isti, quem *minaris* Exercitui *Ducem* (quantivis re-" dimendum) præficeres *Hildebrandum*, Magum illum " *Celeberrimum* Antecessorem tuum; Nam Vi nulla, " nisi *Magiea*, aperietur tibi *Porta* Cœli; *patet atri* " *janua Ditis.* JUL. *Hildebrandus* ille quem lo-" queris (cætera sive *Albus* fuit, sive *Ater* Pontifex fuit " *Optimus*, & de Ecclesia *Romana* præclare *meritus.* " PET. Ego tamen in *Cœlis* eum nusquam reperio: " num *tecum* est ad *Portam*? JUL. Intelligo, quod " non sit multis tecum Colloquendum: nam aut tu " non es *Petrus*, aut ignoras, qui sim *Julius Secundus*: " Egon', ut tu me quasi *nihili* Hominem tractites. " *Vale.* Sed ad tempus, *brevi* reducem cum *Copiis* om-" nibus expecta. PE. Nempe sic solitum Valedicere " *impurum Spiritum* prænunciavit in evangelio *Sal-*" *vator.* Sed ehodum *Juli secunde*, antequam hinc " in imum (quo abis) *Barathrum* præcipitere: dic pau-" cis, & seriò (nam hactenus facetus mihi *Histrio* vi-" deris:) unquamne te vel per Somnium *Spes* lusit " ulla ingrediendi *Cœlum*? JUL. Imo nulla un-" quam incessit animum *Dubitatio*; Nam cur quæ-" so *occludi* mihi *Cœlum* posse sperarem, qui tibi apud " *Cœlites* agenti fuerim *Successor*? Nonne Pontifex

"Romanus *Hæres* est Petro ex *toto* Asse? PE. Quin
"neque in *ima* Cera. Non tu *Petro* succedis, sed
"*Simoni*; non *Apostolo*, sed *Mago*; quid mihi *tecum*
"magis *commune* est, quam cum *Julio* illo *Cæsare*,
"olim etiam *Summo Pontifice*? JUL. *Successo-*
"*rem* omnes agnoscunt, & qui possim tibi *Succede-*
"*re* nisi in *Sede*? quæ autem nunc relicta mihi *Sedes*
"est à te derivanda, nisi *Portam* aperias? ni *Bara-*
"*thrum* forrasse, quod minitaris, *Sedem* vis esse *A-*
"*postolicam*? PET. Sufficit esse *Julianam*, & *Pseu-*
"*do Apostolico* non indignam. Interim tu videris *ar-*
"*gutè* mecum Philosophari, quasi *Dialecticæ* non
"ignarus. JUL. Noris *nos*, non usque adeo *Bar-*
"*di* sumus. PET. De *Eruditione* tua jam antè
"ex *Ore* tuo, plus satis audivimus; Neque tamen
"defuere tibi *Literæ*, quando in *Charta* quadam
"*Bullata* pro *Fiat* subscriberes *Fiatur*. JUL. Qua-
"si vero minutias *Grammaticorum* curare deceat *Pon-*
"*tificem Romanum*? Interim non hoc subscriptum est
"ex *Cathedra*. Quod sanè veh menter doleo, sic enim
"Nemo *cujuscunque Ordinis*, *Status*, aut *Dignitatis*,
"etiã *Regiæ*, contraire, contrascribere, aut contrahiscere
"præsumserit, quin noverit se indignationem *Omnipo-*
"*tentis Dei* incursurum. PE. Consulto omisisti,
"*Indignationem Sanctorum quoque Pauli & Petri*
"*Apostolorum*, in *Formula* ista, uti fertur, *vibrari*
"solitam; Ista enim plusquam Bruta *Fulmina* pro
"animi *Libidine*, & furiali *Impetu* projicere, nunquam
"te ipsi docuimus. Tu vero (ut ad Institutum redea-
"mus) qualem tibi fingebas *Cœlum* esse *Locum*? aut
"quomodo *tempus* ibi fallendum putabas, si in *Cœli-*
"*tum* (quod impossibile est) *Chorum* exciperere? JUL.
"De *Loco* rogas? *Cœlum* putabam (ut insuper quic-
"quid uspiam est Loci Pontifici Romano pervium;
"nec velim te nimis solicitum esse de Tempore meo
"illic transigendo. Nunquam mihi *Tempus* otiosa *Merx*
"est, nisi quod hic, ut video, tecum Sermocinan-
"do perdam: sed quæ, quæso, causa *Dubii*? PE. Omni-
"um sanè *gravissima*; nam hic prorsus in *alieno* lan-
"guesceres *Elemento*, istarum profecto *Rerum* nihil

qui-

" quicquam reperturus, quæ te *totum* habuerunt in
" *Terris*. JUL. Quî sic obsecro? PE. Etiam-
" num rogas? Cum *Consummatis* hic Justorum *Spi-*
" *ritibus* (non tui *Calendarii* Sanctis) *pura* incunda
" *Conversatio*; *Sanctum* hic cum *beatis* Angelis inter-
" cedit *Commercium*: Ineffabile super omnia cum
" Deo, & *Christo* ejus, hic *Consortium* colitur; Ex
" hisce denique omnibus *defæcatæ* hic prorsus per-
" cipiendæ *Voluptates*, *purissima* veniunt perfruenda
" *Gaudia*. Gaudia tamen iis quibus *parantur* (iis
" verò universim omnibus perquàm accuratissime) *Con-*
" *sona* solum & *accommoda*; sincera scil. *Sanctimo-*
" *nia* imbutis, non prorsus reipsa *impiis*, licet *inani*
" forte Sanctitatis *titulo* ornatis. Quinimo fac a-
" liis, *Scelerati* nimirum, *tuique* præsertim similibus,
" concessa; tantum profecto abessent ab Animis *divi-*
" *na* inde *Lætitia* perfusis, ut in *Tormenta* istis plus-
" quam *Tartarea*, Cœlestia etiam ipsa verterentur
" *Gaudia*; cum *Amoris* basin, & *delectationis*, sentia-
" mus *Similitudinem*; *Adversam* rerum *Indolem*, *O-*
" *dii*, & *Angoris*, experiamur Fundamentum: Nul-
" læ, è regione, hic Loci *evertendæ* sunt *Respublicæ*,
" nulli *Principes* sub pedibus *Conculcandi*, nulli Ho-
" stium *Sternendi* exercitus; Splendidi nulli de stratis
" hostibus adornandi *Triumphi*; Fideles Christi *Con-*
" fessores (chara Deo capita) nulli sub *Hæreseos* præ-
" textu ad *Sanguinem* usque *Cædemque* persequendi;
" Nullus, cui insideat, *Pontifici Romano* erectus *Thro-*
" *nus*; nedum *purpurati* Thronum quaquaversum cir-
" cumfusi *Cardinales*; Nulli *Canonistæ*, qui te (*in-*
" *carnatum* modo *Diabolum*) Dominum *Deum* su-
" um *Cœlis* etiam *constituerent* ipsi, & *colerent*, cul-
" tumque *Divino* nihilo minorem ab *aliis* præstan-
" dum exposcerent; *Fiscus* nullus *papalis*, quo mi e-
" rè *emunctæ* malis artibus *Ecclesiæ* omnes undique
" confluerent *Divitiæ*; Nulli Ludi *Scenici*, *Theatrici*;
" nulla *Spectaculi* pompa; nulla aut *Gula* aut *E-*
" *brietate* Genii *Indulgentia*; *Scorta*, *Cinædi*, *Gane-*
" *ones* nulli; nullus Libidinis *Arbiter*, nullus *Mi-*
" *nister*; Istarum denique *obscœnarum* nullæ *Volup-*

" *tatum* in quarum *Luto* tu, qui totus *Lutum* es &
" *Sordes*, improbè (si quis alius) expertus, probe nosti
" *volutantes* plane & demersos *Universalis* qui se dici
" volunt *Ecclesiæ* Episcopos. GE. Si ita res habet,
" mea quidem sententia confestim abeamus; nosti e-
" nim te *aliis* rebus utpote minime *assuetum*) minime
" *delectari*. PE. Tace *Genie*, nondum tuæ sunt
" *verborum* vices. GE. Mox erunt. PET. Sed
" nonne hoc tibi totum prædixerat *Sacra* Scriptura ?
" JUL. Quam mihi loqueris *Sacram* Scripturam ?
" PE. *Canonicam*. JUL. *Decretorum* nempe, &
" *Decretalium* intelligis puto. PET. Vah nugas!
" imo *illam* dictante *Spiritu Sancto* exaratam. JUL
" Oh! *Biblia* quæ vocant. (nam ego nunquam de
" *facie* novi.)Certe odio *mei* mox, credo, transibis in
" castra *Hæreticorum*; sic enim loqui amabant *Leonistæ*;
" amantque, si qui nunc dierum sunt parum *Catholici*.
" Nunquam ego placide ferebam istos *Biblistas*; neque
" vel ex *Commodo*, vel *Dignitate* Sedis est *Apostolicæ*
" (quod miror nescire *Petrum*) istos quoquo modo
" *tolerare*. Sed quousque finis me hic ad *Portam* in *pe-*
" *dum* meorum (quos etiam *Reges* exosculati sunt)
" *digitis* frigescere? PET. An ergo *friges*? Abeas itaque
" non ad *fictitia* tua Regna *pictaque* purgatorii Ignes,
" unde pro *fucata*, nescio qua, potentiæ *Plenitudine*, ad
" libitum te *liberandi* (lusis toties *aliis*) *temet* tan-
" dem *ipsum* vana *spe* ludas; Sed ad *verum* abeas, *ater-*
" *numque* ignem tibi cum *Diabolo* & *Angelis* ejus pa-
" ratum: *jam calesces plus satis*. GE. *Conclamatum* est,
" uti vides, quid hic amplius moras ducimus? Nam in-
" nuit mihi jam pridem meus *Imperator*, & *Baculum*
" movet. Jam meæ sunt *loquendi*, *agendique* etiam vi-
" ces. JVL. *Male*, *Pessime* Genie quo trahis *Julium*?
" Si fas esset redire *Romam* (imo si ad Sedem modo
" *Porphyreticam*) ut ego te *Diris* omnibus *devoverem*
" etiam (non obstante *Petro*) sub Annulo *Piscatoris*?
" quin & omnes, contra te Principes *Catholicos* (dict-
" um factum) concitarem. GEN. Bene equidem habet
" quod *furioso* tibi nunc primum desit *Gladius*. JUL.
" *Julio* vis infertur, Julio *Papæ Secundo*; Nemon', in

" Auxilium

" Auxilium? *Centum Mille* Annorum Iudulgentias " ex *Plenitudine Apostolica* omnibus, & Singulis, " qui ——— GEN. Vah, ut nunc *delira*s Miser! fabu- " losas *Purgatorii* pœnas aliis *laxandas* tuæ, à diris " *imi Tartari* cruciatibus, Redemptionis pretium polli- " cens! Viden, vero *furvos* istos in propinquo obviam " venientes *famulos*? JVL. *Cacodæmonas* proculdubio; " Oh! succurrite, succurrite, —— GEN. En vo- " bis, qui vester est, *Julium Secundum Pontificem* " *Romanum.*

Ad JULIUM.

Miraris clusum, *Juli tibi Maxime*, *Cælum*?
  Projectas Claves *en* Tyberinus *habet.*
O quantùm Gladio, Clavis *nunc præstat* acuto,
  Et, *Piscatoris* Penula *trita*, Sago!

Epilogus Vetus; (*pro quo nos substituimus*, *quem jam habes*, *novum*: *lunulis prænotatum.*)

PE. O Pestem! O miseram Ecclesiam! Sed heus Genie; nam tecum magis libet confabulari, quam cum isto deterrimo Monstro. GE. Quid est? PE. Suntne istiusmodi cæteri quoque Episcopi? GE. Bona pars hujus est farinæ; verum hic omnium Antesignanus. PE. Tu videlicet Hominem ad tot excitasti Flagitia. GE. Ego? Minime: imo adeo præcurrebat, ut ipse vix alis adjutus assequi possem. PE. Sane non miror si huc tam pauci adveniant, cum hujusmodi Pestes Ecclesiæ Gubernaculis assideant: quandoquidem Vulgum utcunque Sanabilem esse, vel hinc conjicio, quod ob solum Pontificis Titulum tam Spurcæ Cloacæ defert Honorem. GE. Rem ipsam dicis: Sed jam dudum innuit mihi meus Imperator, & Baculum movit. itaque Vale.

Hoc Tetrastichon *Buchanano* alii, alii *Conrado Grebelio*, tribuunt.

Genua *cui patrem* *Genetricem* Græcia, *partum*
Littus & unda *dedit*, *hic* Bonus *esse potest*?
Fallaces *Ligures*, mendax *est* *Græcia*, *Ponto*
Nulla fides; *hæc tu*, singula, *solus habes.*

Carmen isthoc *Iambicum* adjectum erat à fine *Dialogi* cum veteri *Epilogo* prodeuntis.

Julius obit, Cœlum petit, nanciscitur
Petrum; ut claves? summus ego sum, inquit, Pontifex.
Apagesis; hic nullus fluvius, haud pontibus
Quicquam est opus. Abiit, recepit se in domos
Plutonias: huic obvius factus Charon,
Quo tendis, infit, quis, aut quod nomen tibi?
Hæc Julius. Ego Pontifex(ut antid' hac.)
Siccine? facessas hinc citiùs, neque enim feram
Fluminibus infernis novos pontes strui;
Sic pensitari consuetum perdere
Naulum? recede, Cocyto aut immergitor.
Quid faciat, aut qua se recondat pergula.
Vesana sanctitas? polo arceri hospite,
Erebique furvis insulis excluder.
Ignota priscis, & reperta nullibi,
Animi dubius, invisa confinxit loca,
Illique Purgatorio nomen dedit.

FINIS.

JANI ALEXANDRI FERRARII,

Cœnobitæ Augustiniani,

EUCLIDES CATHOLICUS,

SIVE

DEMONSTRATIO ROMANÆ FIDEI, ex primis, certis, & evidentibus principiis, Mathematica methodo, & connexis continua serie propositionibus, deducta.

Ad

Reverendissimos Viros,

ADRIANUM & PETRUM DE WALENBURCH.

———*Ridenti dicere Verum,*
Quid vetat? ——



OXONII.
MDCLXXX.

IN

EUCLIDEM

Catholicum.

Ventoso tumidus fastu super Astra Cometes
Scandit; concussis crinitis Ignibus, Auras
Inficit, amotis Luce *horridiore* Tenebris:
Restituens Phœbum, *latè dominatur, & implet*
Cassiopeanam *Cauda ambitiosa Cathedram.*
Stant Pueri, & Rutilum Barbæ mirantur Honorem;
Sol nocturnus *adest vicis clamatur; & audit*
Inter Sidereas Pulcherrima Flamma Cohortes.
Interea Docti jactant sua Scommata; & audent
Ignotum Cœlis Lumen ridere Vaporis.
Sic Collum vulgo Meretrix Romana *verendum*
Tollit, furtivis Gemmis ornata, Pudoris
Nescia, in Augustà *sedet Imperiosa Cathedrâ.*
Aspice Purpureas effuso sanguine tinctas
Vestes, heu quoties fauces hydropica pandens
Optati Laticis toto se proluit Amne:
Vix Molem Ingentem tumefacti Gurgite Ventris
Sustinet; Hæretico necdum satiata Cruore.
Dum Populi cœcâ stant Relligione Colentes
Carnibus Humanis quæ passim Altaria fumant,
Plusquam Ægyptiacas Terræ offusura Tenebras;
Sobria Gens Hominum, quos nondum tædet Ocellis
Explorare vias, necdum piget esse Beatos,
Vix secum statuunt, magis an miseranda *putentur,*
An ridenda *magis, Numerosa Opprobria* Romæ.
En, Hanc nudatam falso splendore, Jocisque

 Undique

Undique Dentatis trajectam, Hæc Pagina *cogit*
Ignari prodire foras Ludibria Vulgi.
Retibus hic vafri compactis Arte Cerebri,
Et cautè positis, laqueata exponitur (*instar*
Lascivi quondam Genitoris) Adultera Roma.
Hosti lætificos, *ceu picta* Tarantula, *figis*
Morsus, *Ingeniique Aciem qui sentit*, *amabit*;
Et colet, *ut* Juvenis *pulchros laudabit* Amicæ,
Unde suum vulnus Demens priùs hausit, *Ocellos*.
Acribus hic opus est Stimulis; *mordace requirit*
Ingenii Sale sic condiri Putida Roma.
Exulet hæc tandem Doctis indigna Triumphis
Fabula, *plaudenti magis irridenda Theatro*.
Parciùs hæc; *nam quem fecit tua Pagina* Lusus,
Seria *Res agitur*; *jam nunc* Europa *Nefandas*
Artes exhorret, *quæ Te fecere* Prophetam.
Nunc equidem Insidias *lentas*, fraudesque, dolosque,
Nunc Vim *sentimus*, *quam vaticinaris*, apertam.
Nam Genus est Hominum diris super Æthera notum
Criminibus, *Larvamque usurpans Nomen* Jesu;
Sanguinolenta *Cohors*, Armis *instructa*, Veneno,
Cultellis, Sicis, Bombardis, Ensibus, Igne,
Quæ sanctæ *præbent Armamentaria* Romæ,
Ad convertendum Populum, *Gentesque domandas*:
Siccine Pacifici condenda Ecclesia Christi?
Exagitata vetus stimulat Præcordia Bilis;
Liventes Oculos, *spumantiaque Ora veneno*
Aspicias; *istos cum sæva accendit* Erinnys
Stipite Tartareo, *tumidisque afflaverit* Hydris.
Gens plectenda venit, *quæ non Diadema Triforme*,
Nec Majestatem Romæ *obsequiosa veretur*?
Has statim effundit nigras *Ecclesia Turmas*:

Ociùs

Ocius Hæreticas glomeratim erumpit in Oras,
Quo Phœbus nunquam vidit truculentius, Agmen.
Ecce Sacerdotum *Gestamina sacra* supernè,
Quisque cruentatis intùs *tamen horridus Armis!*
Grassatur Pestis; jamque Urbes Sanguine, Flammis,
Atque improvisâ vastatas Strage videre est:
Flammis Gentilem sic Roma illuminat Orbem:
Sic jacet eversum proprio immersumque Cruore,
Baptismum *Romæ subiens, Miserabile* Regnum.
Gens si qua Hostili non cedat victa Furori,
Artibus hæc lentis subigenda est Impia, quales
Edocet innumeras Natos Sanctissima *Mater;*
Protea *ut ambiguum referentes, Mille Figuras*
Suscipiant; totidem meditantes Dira Malorum
Exempla; Insidiæ tacitæ, Stratagemata, Fraudes
(Imperii juxta Romani Arcana*) Struuntur;*
Occulto videas Miserum tabescere Morbo
Regnum; dum stimulis lenti peritura Doloris
Vulturibus sævis roduntur viscera; qualem
Defixum Scopulo perhibent lacerare Prometheum.
Vidimus Insidias & Nos, *quibus altior* Orcus,
Atrior esse nequit; quæ Sævus Furcifer *horret*
Crimina; *quæque* probos *veteres fecere* Nerones.
Heu quanti est Sceleris Papalem condere Gentem!

In Euclidem Catholicum de Visibili Catholicæ Ecclesiæ Capite.

HÆc prisca Pietas; hæc fuit Fides anus;
Se facere parvi, non item Verbum Dei:
Reges *vereri, ceu Deos* Vicarios;
Ipsumque Petrum, ut cæteros Apostolos

 Fidei

Fidei Ministros, *& sacros* Interpretes,
Habere charos; non ut Auto es *sequi*.
Sic Roma Virgo. *pariter hanc Anglis tuis*
Impertiisti, Magne Gregori, Fidem.
Ut Præsul Urbis idem & Orbis exjit;
Nunc alia res est: militatur Seculo:
Ligare, solvere; Machinæ sunt bellicæ.
Facere imperata, *est pœnitere, credere*.
A Rege factus æmulum Imperium creat:
Sapit: Referret gratiam? præstat dare,
Quod jure repetas usibus tuis datum;
Cum sit potestas summa Beneficii tui.
Seruntur odia; provenit Belli seges:
Gentes metendæ. Teutonas Galli necant,
Gallos Iberi: Turba passim cætera
Trahimur ruinâ Funeri sine nomine.
Synaxis horret sacra, quas conscit, neces:
Tantumne fusum Christiani sanguinis,
Ut Pontifex, Altari adoratus super
Deus professus, purpuratos Asseclas
Gradus ad imos postulet procumbere?
Ut Pontifex excelsus in Solio sedens,
Humi Tyrannis osculandos det pedes!
Demat Coronas calce, calce redditas!
Avulsus Oriens *interim* Christo perit:
Thrax Insularum Domitor, & Latio imminens
Lunis cruentis occupat medium Mare;
Nos verò quintas condimus Monarchias:
Terrestre Cœlum, Christus alter *quæritur*,
Honore, & Opibus, & voluptate, affluens;
Quo dante Rex hic *alteros Indos tenet;*
Tenebit alius, *ille ni morem gerat:*

Cui

Cui pendat omnis Ordo Vectigalia ;
Nec æra Meretrix quærit in solidum sibi.
Tacebo Neptes, *filias*, *Nuptas libens* :
Mortalis eximendus ex mortalibus
Homo *ille*, *qui nil patitur* humani ; *nequit*
Errare, *ut erret maximè* ; *cujus* Fide
Deo loquenti jussus *adhibeas Fidem* .
Vetet ; *neges vidisse Te quæ videris* :
Sin ampliabit *obstinata Humanitas*,
Communis, *ut fit*, *pertinax* sensûs *genus* ;
Mali peribunt omnibus modis malè .
Eu, Pole *noster*, *sis Tridentinus licet*,
Nolo Papari : nam Tenebrarum est opus.
Privatus *arma moveris*, Papaturis .
Quod si gerendam *Christus indicat* Crucem
Cœlo Britannis, *quà vocat*, *dabit sequi.*
Scurræ videmur Nos Tibi; *hic Liber jocus* .
Hominum furorem ridet è Cœlis Deus.

Euclidem Catholicum egregiè Ecclesiam Romanam demeruisse.

Ausonias postquam repulit Germania Merces ;
Suas habere Res sibi jusso Papa ;
Cernis, *ut exiles* Monachi *vix Ossibus hærent!*
Idola *blattis obsita ut squallent Situ!*
Heu Pietas! heu Prisca Fides! Nova Fabula vulgi!
Fraudesque fraudi jam piis erunt piæ!
Sancti Effata PATRIS, *senis ut Deliria*, *ridet*
Hyberna tenuem digerens Anus focum :
Ille, *parum humanas motura tonitrua mentes*
Agentis animam similis evomit Caci .

Languida

Languida quid tremulâ jaculatur Fulmina dextra?
Abjit in Auras levis & innocuus fragor.
Hic, rogo, non Furor est, VETERES, *terrestrium inanes,*
Torquere, Technis ut novis faciant Fidem?
Hunc Bellarminus prensat, Perronius illum;
Succurre; certè noster es: renuit? statim
Truncat sinceras inhonesto vulnere Chartas
Index: *ut istis fiat ærumnis modus;*
Vexati Patres Calvini in Castra recedunt;
Secumque sacras abstulere Literas.
Arces Suada *simul* Tarpeias *oderat; ex quo*
Tutum retinuit Roma, *vel* Sacrum *nihil.*
Et, nisi Te tandem, Ferrari, *Vindice, præter*
Venena, Sicas, vota, nil reliqui fuit.
Cedite Claustrorum Doctores, atque Lycei;
Euclidis *instar Nemo suppetias tulit.*
Sectas ut proprio male sanas Marte fatigat!
Suoque succo peperit integrum Decus!
Tollite difficiles nugas, tetricosque Catones;
Auferte raucæ barbaras Scholæ *strophas:*
Sufficit adversos rictus fregisse Cachinno,
Telisque *parcens emori* Risu *jubet.*
Insperatus ades magnæ spes altera Romæ?
Æterna scriptis fiet etiamnum tuis.
Plusquàm Borbonios *olim excussura Furores,*
Hic Adriani jam cluet Moles *nova.*
Sanctius in terris, nec Asylum tutius usquam
Ruitura quæras, Roma, *nec teneas, precor.*

Ad

Ad *Jesuitas* de *Euclide* Catholico, Et Fide *Romana* ab illo Demonstrata.

Fulmina Vulcanus *conflant* Loyolaque *Patres*:
Arte Valent, *Pedibus claudus uterque Faber*:
Tela trisulca Jovi *sudantibus ille Lacertis*,
Hic magis irato fabricat Arma Papæ.
Trux sibi substituit Similes Loyola Cyclopes;
Vulcani *minor est*, *mitior atra Cohors.*
Hæc tantum Siculis *procudit tela Caminis*:
Loyolæ Tellus *non capit* una *Focos*.
Fulminis in nigros dudum, Pottere, *Ministros*
Torsisti invictâ seria tela Manu.
Hostis Castra novâ Ferrarius *Arte lacessens*
Arma jocosa, *minùs nec nocitura*, *gerit.*
Chara Patri soboles Loyolæ *exosaque* Jesu,
Loyolæ *quod sit* Compater *ille Patri*;
Nil contrà aggrederis? patulis vox faucibus hæret?
Clamosæque silet garrula Turba Scholæ?
Cum, *reliquis Musarum hortis post terga relictis*,
Te sibi vel totam sola Mathesis *habet.*
Responsum at frustra peto: Π *Problema triformis*
Nodosum nequeunt solvere quinque Patres.
Tota igitur fuerat pariter neglecta Mathesis,
Prospera ni Cœptis *Pars foret una tuis*.
Pellæus *longùm sectandi incesserat Ardor*
Orbisque *Imperium*, Pieriique *Jugi*.
Hæreticis *tandem steriles tamen abjicis Artes*:
Sortis & exerces nobilioris *Opus*.
Romæ Victrices (ut quondam Marte *) Volucres*
Solis utramque doces Arte *volare Domum*.
Interea Sacri tibi clausa Volumina Libri;
Quo, *Christi accepit* Terra *subacta*, *Jugum.*
Sclopo agitur, *Gladio*, *Sica*, *Phrygio Igne*, *Veneno*;
Hæc sunt Militiæ *tela parata tua.*

De

De Sacris Aris *Phrygio contenditur Igne*;
Igne magis Stygiis *conveniente* Focis.
Itala nempe Æquor *transnavigat Ætna Britannum*;
Cedat ut Italiæ Terra *Britanna suæ*.
Urbs *flammis correpta tuis ruit* inclyta, Romæ
Æmula Cæsareæ *cum Caput Orbis erat*.
Augusti Semper CAROLI *Caput Ense*, *Veneno*,
Glande (*licet cassis omnibus*) *impetitur* :
Horum aliis Proceres, *aliis* Plebs *tota petenda est*,
Quæ purâ Numen *Relligione colit*.
Arma hæc dira regùnt Technæ, *Perjuria*, *Fraudes*,
Quicquid Roma docet Vafra Magistra *Doli*.
Technarum Euclides *Labyrinthos pandit*; *&*, *unde*
Ortæ sunt, *repetant Infera Regna jubet*.
Quosque sibi Juris longùm Communis Epeos
Mitratus Stygio cum Jove Cæsar habet.
Da, *Siculus Faber inquit*, *ubi Pede nitar Abysso*
In Vacua; *en nostra est* Machina *ficta Manu*;
Qua vastam hanc Mundi Molem Statione movebo,
Ut movet Automaton Gallicus Erro suum.
Legem nempe pati nequiit Natura; *dataque*
Stare Fabrum fidei non erat Artis Opus.
Papali Euclides *divisus ut Orbe Britannus*,
Firmus ubi neutro non Pede staret, *habet*,
Qua pariter Papam *Sedi*, *Papæ auferat* Orbem,
Machina, *hic exiguus cuditur apta* Liber.
Secta *tua*, *ut meruit*, *propriis transfigitur Armis*:
Romanas *Aquilas* Penna *Aquilina fodit*.
Fraude pia *tandem Victa est Fraus* impia: Janus
Tecum agit, *ancipiti non minùs Ore*, *bifrons*.
Ausonius fractis Succumbit Viribus Atlas :
Tantus *hic à rupto provenit Axe* fragor.
Præcipitem metuit Cœlum Papale *ruinam* :
Papa *labans tremulum fert Diadema triplex*.



AD
LECTOREM
PRÆFATIO.




Alemburchici (ad quos, quæ sequuntur, datæ sunt *Epistolæ*) *ignobile* Par Fratrum, Gente *Batavi*, in *Pontificiorum* Castra dudum *Transfugæ*; creati sunt tandem, *Titulo* tenus, *Episcopi* (alter *Adrianopolitanus*, *Mysiensis* alter Episcopus,) Re tamen vera sordidi *Papæ* Pensionarii, jurataque *Servi Servorum* Mancipia, Pennas exercent Venales, junctisque Viribus, *Synagogæ* istius *Satanicæ* vacillanti palam Fabricæ denuo stabiliendæ, strenuam navarunt Operam: Post *Veteres* autem Technas Dolosque detectos omnes explososque, Methodis, Mediisque usi sunt novis, in suo ipsorum Cerebello excusis; inter cætera *J Ctorum* forma forensi, *Probatione per testes*; non *antiquioris* sane illos *purioris*que, sed *corruptissimæ* plane, *Præsentis* sc. (quam vocant) Ecclesiæ *Romano-Catholicæ* Testes; quasi *Me-*

Meretricum illi *Reginæ* & *Matri*, ad Fidem Dogmatis suis *ineptis* quantumcunque *impiisque* conciliandam, abunde sufficeret, si *Stylo* demum *Regio* subsignata exhibeantur omnia, *Teste Meipsa*: Privilegium, quod *Christus* quidem ipse, Ecclesiæ veri Nominis *Catholicæ* verendum *Caput*, sibi in Terris versanti vix, aut ne vix quidem, vendicandum existimavit.

Vapulant hac in P*agina Fratres* isti in *Malo*: Nec (uti præ se ferre videatur Libelli Titulus) tam *Demonstranda* suscipitur, quam *Deridenda* omnibus proponitur Fides *Romano-Catholica*; & sub *Amoris* velo, *Reverentiæque* prætextu, *quinta* quasi sub *Costa* trajicitur. Perpetua nempe per omnes Epistolas *Ironia* lepidissime luditur; *Jocis* adeo faceris, dentatis *Salibus*, mordacibusque Dicteriis, ut magnus ille in isthoc scribendi genere *ETCHARDUS* noster, *Anglicano* usus Idiomate, nihilo feliciùs cum *Hobbio* (majori ipsomet, quam scripserat, *Leviathane*) egisse videatur, quam Lingua Romana Ecclesiæ rebus Romanæ transigendis aptiori) *Walenburchicos* (novos istos Cœli Papalis *Atlantes*) tractâsse noster hic censendus est *Author*.

Quin & alio etiam Nomine Author hic *noster* est; Natione sc. *Anglus* (quid ni enim tantum *Ingenium Angliæ* nostræ asseram, gratulerque?) nec *ignobili* oriundus *Familia*, unde vafris *Emissariorum* Artibus pellectus, *Iniquitatis* Pontificiæ *Mysteriis*, non *initiatus* modo, sed & *innutritus* fuerat, ad Nauseam usque & Fastidium: Maturioris enim jam facto Judicii longiùs imponere nequierunt portentosa adeo *Papicolarum* Dogmata, a quibus tam *Scriptura Sacra*, quam *Ratio* sana penitus abhorrent, *ipsique* etiam *sensus* una omnes resiliunt: quæ bene aculeatis ideo *Sarcasmis* potius exsibilanda, quam nervosis *Argumentis* debellanda esse videbantur. De *Authore* nihil est quod amplius præfari ausim; Cum Ipsi etenim sub *mutuato* Nomine visum est delitescere, nollem ego committere, ut Nomen *proprium* in Publicum proferendo, exacerbatis *Papicolarum* Odiis, ultricibusque (*Sacrificulorum* præsertim,) iris, aut *Ferro*, aut *Veneno*, petendum exponerem.

J A-



JANI ALEXANDRI FERRARII,

Cœnobitæ Auguſtiniani,

Epiſtola Prima.

DE UTILITATE ATQUE NECESSITATE CATHOLICÆ FIDEI.

Ad

Reverendiſſimos Viros

ADRIANUM & PETRUM

DE WALENBURCH.



Ortiter ſanè à multis, VIRI REVERENDISSIMI ,ac vario ſucceſſu pro Eccleſiæ incolumitate contra Hæreticos eſt decertatum ; vix autem à quoquam cautiùs aut dexteriùs quam à vobis.Cum enim & Ratio &Experientia edocuiſſet,Sacræ Reip. noſtræ nihil hactenus fuiſſe perniciosius , quam quod ipſa negotii , quod agitur , momenta ex Scripturarum autoritate , ac Veteris Chriſtianiſmi principiis expenſa fuerint;Vos, pro admirando ingenii veſtri acumine , recte perſpexiſtis , non *peremptoriis*, & ad ipſam cauſam perti-

tinentibus argumentis esse decernendum: utpote, quæ Hæreticorum solertia inverti vel eludi facile possint; sed vel *dilatoriis exceptionibus* utendum, ac *declinandum* Scripturarum *forum*, *Judicesque* omnes, præter Pontificem nostrum, *recusandos*; vel, quod præprimis vobis placuit, diuturnæ *possessionis ac præscriptionis* titulum obtendendum, prolixasque de *spolio* ordiundas esse querelas. Quam agendi rationem, (in foro quidem, & judiciis usitatam, in iis vero, quæ ad Divinarum rerum intelligentiam ac fidem pertinent, antehac inauditam,) cùm accuratiùs considerarem, non aliud colligere potui, quam quod, pro incredibili perspicientia vestra, deprehenderitis, Controversias, quæ Catholicos inter & Hæreticos agitantur, non in Sacro & religioso, sed Forensi atque politico causarum genere versari. Ita enim mecum animo reputabam; *Quid contra veritatem præscriptio? quid pro errore possessio valeat? Acutius sane Reverendissimis Fratribus ingenium, exquisitior eruditio, judicium subactius, quam ut forensem istam litigandi rationem, ad exquirendam aut stabiliendam Divinorum dogmatum veritatem transferri posse existiment. Unde omnino crediderim, Ipsos longe hic aliud agere, quam quod hactenus putabam; nec de Religione, sed de Imperio; nec de Fide, sed de Obedientia disceptare; ac dum adeo anxie & sollicite Hæreticos in Ecclesiæ sinum reducere, omnesque secessionis causas eripere ipsis laborant, id unum contendere, ut Ecclesiæ imperio eos denuo subjiciant, partaque exuant libertate.*

Dici vix potest, *Reverendissimi Fratres*, quanta, quamque mirifica luce subito mentem meam cogitatio ista perfuderit, & quam clare protinus perspexerim, quod in isthoc argumento intentatum hactenus, sed imposterum omni opera & cura esset excolendum. Nimirum vestro agendi modo consimilem quoque materiam, conclusioni convenientia principia, ac thesi commodas hypotheses esse adaptandas; ut, quæ Catholicorum Doctrinæ, Scripturæ Testimoniis, ac Veterum Theologorum principiis propugnari haud poterant, non forensi solum Marte defendatur, sed ex

reconditiſſimis quoque Civilis Prudentiæ axiomatibus demonſtrētur. Quod ubi à nobis præſtitum fuerit, jam prævideo expedita fore omnia. Quis enim poſtea dubitaverit, ad ſtabiliendum tantum tamque late per omnes Terrarum Regiones diffuſum, & in ipſos Potentiſſimos Imperatores, Reges, ac Principes, quantumvis invitos atque reluctantes, extenſum Imperium, cujus nec par, nec ſimile unquam extitit, prudentia opus fuiſſe plus quam humana? Quis poſthac credat, ſola inermi eloquentia effici potuiſſe, ut imbellis Homuncio, pauperculi Piſcatoris ſucceſſor, ferociſſimorum Imperatorum colla impune calcaverit; ut Reges ſolo nutu regnis excuſſerit; ut ipſas Cœlorum fores pro arbitrio increpandi, eaſque dicto & claudendi & reſerandi, &, quotquot lubuerit, Hominum millia ad atras inferorum ſedes detrudendi, atque inde reducendi poteſtatem habere creditus fuerit; ut denique ſub extremi & æterni ſupplicii metu, ceu viſibile quoddam in Terris Numen, non à rudibus & barbaris, ſed à politiſſimis quoque omnium fere terrarum Gentibus, fuerit adoratus?

Tria ſunt Numina, quibus Mortalium natura ineluctabili quadam neceſſitate videtur eſſe ſubjecta, AMBITIO ſcilicet, AVARITIA, LUXURIES. Hæc nullis Philoſophorum præceptionibus, nullis Legiſlatorum ſanctionibus coerceri poterant. Unus inventus eſt homo, qui altiori longe, quam qui hominibus conveniat, faſtu illa omnia conculcavit, ſibique ſoli vindicata in triumphum deduxit; dum primum illud voluntariæ *Obedientiæ*, alterum *Paupertatis*, tertium *Continentiæ*, in voluntariis vinculis conſtrinxit; atque ipſe, licet *Servorum ſervus*, Reges omnes pro mancipiis aut Vaſallis; licet *auro & argento* deſtitutus, Univerſum Terrarum Orbem, ipſumque Plutonis regnum pro patrimonio, & licet *Cœlebs*, omnique matrimonio ſolutus, alienos, quos lubet, thalamos pro ſuis habuit. Hæc quicunque paulo attentiùs conſideraverit, nonne neceſſe eſt ut fateatur, Eum, qui talia patrat, *verè elatum eſſe ſuper omnem, qui dicitur, Deum, ac ſuper omne Numen, in Dei templo aſſidens tanquam Deus,*

& quod sit Deus, sese demonstrans ? Quæ autem à Deo fiunt, quis negabit Divina esse?

Ejuraverit sane omnem Rationem, quicunque existimaverit, Rationis omnis destructionem Rationi adscribendam esse, atque à vulgari Rationis dictamine proficisci, quod sub prodigiosissimæ fidei obedientiam captiva ratio detrudatur.

An Hominum sensibus attribuamus; quod omnes fascinentur sensus? quod nullis tormentis, suppliciis nullis deterreamur, quin ea testemur vera esse, quibus & Visus, & Auditus, & Tactus, & Olfactus, & Gustus, & quicquid tandem nobis inest Sensus, aperte & constanter obloquitur? Quis non videt igitur Catholicæ Doctrinæ persuasionem ab aliis longe principiis provenire?

Enimvero Hæretici fatentur Divinam fuisse Apostolorum sapientiam: at illa tanta non erat, ut assequi potuerint, qua arte super exilia ista, atque natura sua ad tale institutum ineptissima fundamenta, quæ à Magistro *Jesu* locata viderant, tam vasti Imperii moles extrui queat; licet illos satis ambitiosulos, regnandique cupidos, adeoque dubio procul Politicorum arcanorum non incuriosos fuisse, Evangelica Historia testetur. Quod si igitur Divina illa, quæ Apostolis obtigit, prudentia, si ad hanc nostram comparetur, mera sit stultitia, nec Sacri nostri Dominii extiterit fabricatrix; quantis elogiis Pontificum nostrorum sapientia erit celebranda? Certe Divinissimam eam dici oportet, utpote quæ Divinam ipsam longissime superarit. Nam Diabolicam esse, ne ipsi quidem Hæretici affirmare ausint. Fatentur enim omnes, Pontificem nostrum Principem esse potentissimum, qui non aliquam tantum Italiæ partem, & in ea Mundi caput, sed & omnes fere Terrarum Regiones dominio suo vel premat, vel pertentet, totque possideat castra ac munimenta, quot Templa & Cœnobia per Universum Orbem dispersa jacent, totque addictos sibi habeat milites, quot Sacrificuli, Monachive aluntur. Jam autem Hæretici, ex iis, quas in hunc ipsum finem ad Clerum, populumque Romanum Apostolus perscripsit, literis didicerunt

cerunt, *Non esse potestatem nisi à Deo; quæ enim sunt potestates, eas à Deo ordinatas esse; adeo ut, qui potestati resistat, Divinæ ordinationi obluctetur.* Qua fronte igitur negent Ecclesiæ potestatem à deo existere, Divinamque esse ordinationem? Unde & ipsos huic ordinationi subjici debere, atque eum in finem, non uno, sed duobus gladiis Pontificem armatum esse diserte ibidem testatur Apostolus. *Cap.* XIII. *Comm.* VI.

Nullum nec in Urbe, nec in Orbe, existit malum, quod Deus non faciat, quæ Calvinistarum, juxta Prophetam, constans est doctrina. Jam autem ipsi clamant, nullum majus unquam extitisse malum, quam sit Pontificia potestas. Necesse est igitur, ut à Deo eam esse concedant. At quod à Deo est, quisnam negârit Divinum esse? Quo autem modo Ecclesiæ originem Divinam esse demonstravimus, eodem ejus conservationem Deo adscribendam esse censemus. Quanta excogitata insidiarum strues, quanta adhibita machinarum vis atque multitudo, quibus Sacrum istud Imperium jam ab aliquot seculis convellere, atque evertere studuerunt Terrarum Domini! Frustra tamen omnia & in cassum; nimirum, ut cunctis innotescat, justissimum rerum omnium Judicem huic Monarchiæ præsidere. Qui & potentiam ejus in aliquot secula duraturum Oraculis suis prædixit, & ei fini *Erroris Spiritum atque efficaciam seductionis* quam liberalissimè Humano generi se elargiturum promisit.

Verum quo prolabor? Non nobis ex Scripturis, utpote alienis, & ad præsens institutum minime idoneis; sed ex propriis atque genuinis principiis, Universa Catholicorum Fides, quatenus ab Hæreticis Protestantibus oppugnatur, est demonstranda. Id quod commodissime à nobis expeditum iri spero, si admirabilem Religiosi Imperii machinam distinctius contemplemur, omnesque ejus leges, & repudiatas ab Hæreticis opiniones ex ordine perpendamus.

Quantum autem ad tractationis hujus methodum, animus erat *Euclideam* adhibere, qua ex paucis fundamentis universam Sacræ Monarchiæ structuram erigerem

rigorem; verum experientia edoctus comperi, tam varia, tam diversa, tam inter se contraria firmamenta ab Architectis fuisse ruderata, omniaque mirificentissimis artibus adeo affabre concinnata & cœmentata, ut cuncta simul uno obtutu exhibere non liceat. Quædam enim extant, quædam inclusa aliisque obtecta latent, ut difficile sit, eo quo juncta sunt ordine, singula repræsentare.

Tria tamen fundamenta omnibus aliis substructa deprehendi: *Definitionem unam, Axioma unum, unum Postulatum.*

DEFINITIO.

Ecclesia est Imperium Spirituale, sed visibile, quo homines fidem ab uno Spirituali, sed visibili capite, Pontifice scilicet Romano, præscriptam profitentur, conformemque ei obedientiam præstant.

AXIOMA.

Quicquid ad Ecclesiæ hujus defensionem atque amplificationem facit, id omne & solum censeri debet verum esse, pium, atque sanctum.


POSTULATUM.

Liceat Ecclesiam hanc extendere usque ad fines Terræ.

Quam-

Quamvis vero hæc prima sint principia, quæ sola omnem demonstrationis apparatum non constituunt, sufficiunt tamen illa firmandis reliquis principiis omnibus; quæ ipsa quoque suo loco in apertam lucem protrahemus, ut de iis ne Hæreticorum quidem obstinatissimo dubitare liceat. Rationes autem quibus inductus fui, ut de hac materie ad Vos potissimum scriberem, *Fratres Reverendissimi*, jam ex iis, quæ narravi, abunde patent, ut superfluum videatur pluribus eas exponere. Quod si sanctum hocce institutum judicio vestro comprobaveritis; ea, quæ epistolari brevitate adumbranda jam suscepi, diligentiùs aliquando, & exactius digesta serie, & prolixioribus Commentationibus comprehendam, omnesque Catholicæ Religionis artes, qua potero simplicitate atque ingenuitate explicabo. Sic Valete in Domino. ParisiisCal. Aug, A. à Beatæ Virginis partu cIↄIↄcLxvI.

JANI



JANI ALEXANDRI FERRARII
Cœnobitæ Augustiniani,

DE

CATHOLICÆ FIDEI

Utilitate atque Necessitate,

EPISTOLA SECUNDA.

Ad Reverendissimos Viros

ADRIANUM & PETRUM
DE
WALENBURCH.



QUOD nuper vobis promiseram, *Viri Reverendissimi*, me singulorum Catholicæ Fidei capitum utilitatem atque necessitatem ex ordine demonstraturum; id Vestris jam auspiciis, Vestroque ductu aggredior; Ignoscite moræ, quam alia, quibus distractus fui, negotia hactenus interposuere. Polliceor vicissim, majori eam diligentia atque promptitudine in posterum me esse compensaturum, modo ea, quæ scribimus, judicio Vestro comprobentur.

Primum igitur, cum ipsa doctrinæ ratio postulet, ut ea cæteris omnibus præmittantur, quæ aliis & certitudinem conciliare, & lucem quandam inferre possunt; *à Verbo* DEI initium faciendum esse

esse arbitramur. Illud enim, licet Hæreticorum erroribus quam proximas commodissimasque occasiones præbeat, a Nostris tamen, incredibili quadam & divina propemodum dexteritate, ad usum institutumque nostrum ita inflecti atque accommodari solet, ut nos utilissima nostra dogmata, non minùs quam Illi perniciosissimas suas opiniones, iis superstruere videamur. Quare non solum Catholici Scriptores, atque eos inter Celebratissimus *Bellarminus*, verum ipsius quoque Sacro-*Sancti*, quod *Tridenti* habitum est, *Oecumenici Concilii* Præsides, omnem de Religione tractationem inde ordiendam esse censuerunt; istamque *de Verbo DEI* materiem, primam omnium disceptandam proposuit Legatus Cardinalis de Monte, *per istabilire, conqual armi si dovesse pugnare contra gli Eretici, ed in qual base dovessero fundare la lor credenza i Catholici*, ut ipsa Eminentissimi *Pallavicini* teneamus verba, eademque opera ostèndamus, quam certam semper *cereas* istas *Scripturas* ad partes suas pertrahendi fiduciam habuerint Catholicæ Fidei Doctores. Quamvis enim ibi *Fr. Vincentius Lunellus*, *Silvestri Prieriæ*, *Eckii*, aliorumque Antecessorum exemplum secutus, de *Ecclesia* prius disputandum existimaverit, tanquam de priori ac solidiori Theologiæ firmamento, cui & Sacrarum literarum, & Traditionum autoritas unice inniteretur; consilium tamen istud, non à malo quidem animo profectum, sed certe imprudens ac periculosum, à reliquis Patribus rejectum fuit, eo quod Ecclesiæ autoritas ut rata jam, fixa ac determinata poni, nulloque obtentu in controversiæ discrimen adduci deberet; ne impia forte aliqua, vel invitam mentem subiret atque sollicitaret dubitatio. Quare neque nos istam *Romanæ Ecclesiæ Divinitatem* inter demonstrandas Veritates collocavimus, sed eam priori jam epistola, tanquam primum indubitatumque posuimus principium; ea lege, ut quicunque illud negare vel in dubium vocare audeat, non imbellibus sane verbis, sed urgentibus verberibus corrigendus, ac nisi mature serioque resipiscat, tanquam Sponsæ Christi Violator, Sacræ perturbator Reip. tum Divinæ, tum Semi-

Hist. Concil. Trid lib. VI. cap. XI.

Divinæ

Divinæ Majestatis læsæ reus, vel *ad* blasphemantis linguæ *excidium* condemnandus, vel *è Viventium* tollendus *terra*; & expiatricibus ustulandus sit flammis, juxta Ipsius Christi præceptum, *Nisi quis in me* (id Joh. XV. est, in Ecclesia, quæ unum cum capite constituit comm. VI. corpus) *permanserit, abjectus extra vineam statim ut palmes arescet* (id est, extra Ecclesiæ communionem eliminatus, variis cruciatibus ita emaciabitur & torrefiet, ut ad ignem concipiendum eo sit aptior) *Deinde congregentur isti palmites, & in rogum objiciantur, & ardeant.*

Nec sane alia ineunda est via; cum ex vulgato scholarum præscripto, *Contra negantem principia non sit disputandum*, nosque jam exploratum habeamus, Ecclesiæ nostræ autoritatem iis annumerari debere, quæ ἀναπόδεικτα, sive *indemonstrabilia* a Philosophis vocantur, quæque ipsa licet probari non possint, aliis tamen probandis inserviunt.

Neque nos conturbare hic debet, quod multo cum clamore Hæretici blaterant, *indemonstrabilia tribus modis dici*; esse nimirum quædam, quæ ob falsitatem, vel obscuram perplexitatem, atque incertitudinem demonstrari non possunt; alia vero *indemonstrabilia* esse eo quod tantam tamque apertam habeant veritatis lucem, ut animo nostro, ubi vel tantillum iis attenderit, continuo approbentur, nihilque proferri possit, quod firmius iis sit, aut evidentius; quædam denique talia dici, non quod omnino demonstrari nequeant, sed quod demonstrata jam fuerint, adeoque ulteriori probatione non indigeant; sed in ratiocinationis progressu tanquam certa jam & evidentia principia assumantur. Illi igitur Ecclesiæ nostræ autoritatem *primo* significatu indemonstrabilem esse, per deridiculum quidem concedunt; *secundo*, & *tertio* negant. De prob. Imo inde conficiunt; cum, Vobis Ipsis monentibus, per testes *Intellectus citra rei evidentiam aut probationem, te-* cap. 1. §. 1. *mere ei assentiatur, Ecclesiæ autoritatem* non nisi temere credi. Ego vero eam tribus illis omnibus modis, adeoque κατ' ἐξοχὴν, *simpliciter*, & *perfectissime indemonstrabilem* esse censeo.

Etenim eam *primo* significatu talem esse vel inde

manifestissime patet, quod, omnium confessione, non ad *scientiam* pertineat, sed ad *fidem*, adeoque, juxta *Basilium* τὴν ἐκ τῆς ἀβασανίστου πίστεως ἐπιζητεῖ συγκατάθεσιν. Nam, ut recte *Clemens* Alexand. πίστει περιλαμβάνομεν ἀναπόδεικτον τὴν ἀρχήν. Quæ quidem Ille de Verbo Dei, quod sua se luce manifestat, nos vero longe accomodatius de Ecclesia pronuntiamus. Unde mirum non est, cum Fides omnium consensu sit obscura, ut pote τῶν μὴ βλεπομένων, quod & ista propositio, *Ecclesia Romana est divina fidei & morum præceptrix*, non adeo evidentis certitudinis esse videatur. Est tamen inter hanc & alias ob falsitatem vel obscuritatem indemonstrabiles propositiones, discrimen hoc immane quantum atque ingens, quod reliquæ solummodo demonstrari *non possint*, hæc vero demonstrari *nec possit*, *nec debeat*. Id enim certe fieri non debet, quod si quis faciendum suscipiat, & Seipsum ludibrio dabit, & summam rei in discrimen adducet. At quicunque Ecclesiæ autoritatem ex vulgo notis principiis demonstrare enititur, illum, experientia attestante, necesse est vel in infinitum circumagi circulum, vel in obscurio a semper, atque incertiora incidere.

In Psalm CXIX. *assensum requirit fides non probatæ.*

Stromat. lib. VIII. *fide amplectimur indemonstrabile principium.*

Heb. XI. *1. eorum quæ non videntur.*

Unde ipsis quoque Hæreticis astipulantibus concludimus, Ecclesiæ Romanæ Divinitatem *primo* sensu esse *indemonstrabilem.*

Quomodo autem talis quoque dici possit *secundo* significatu, id paulo difficilioris est disquisitionis. Nam, ut recte etiam monuistis, FRATRES REVERENDISSIMI, *evidentiam frustra quæras in rebus Romanæ Fidei, utpote quæ sunt de nonapparentibus*, hoc est, Interprete Apostolo, *de iis, quæ non existunt*; unde evenire solet, ut quando verba ista audimus, *Ecclesia Romana est Omnium Magistra*, non firmum statim assensum iis præbeamus, quasi indubitata subesset veritas, nec vim ullam in animo nostro sentiamus, qua ad credendum compellamur. Quocirca propositio ista non videtur annumeranda iis, quæ simplici mentis intuitu simul atque perceptæ sunt, nobis approbantur. Verum enimvero, ut difficultas ista tollatur, diligenter est

est attendendum, Animum hominis dupliciter posse esse affectum; Vel enim est rudis & ab omni, quod ad rem faciat, præjudicio liber; vel congrua institutione dispositus, ac veluti odore quodam imbutus. Ille ut plurimum ad percipiendam hanc veritatem idoneum lumen non habet, imo interdum ad credulitatem adeo est obstinate indocilis, ut non nisi eo lumine, quod ex succensa splendescit pyra, efficaciter collustrari queat: Hic vero ita est comparatus ut sine ulla raciocinatione aut erroris formidine in utrumvis, quod ajunt, oculum, Ecclesiæ Romanæ indormiat, & pro scientiæ fideique omnis extremo habeat Venerabile istud & Viro dignum *Ipsa dixit.* Talis autem animus ea solet esse perspicientia, ut quæ vel oculatissimi se Videre negant phasmata, ille distincte accuratissimeque omnia cernat; haud secus atque illi qui Dominica die vitalem lucem primitus aspexerunt, & Lemures & Lamias, & quæcunque alia *noctium occursacula*, & *bustorum formidamina*, & *sepulchrorum terriculamenta* videre dicuntur, quæ alii quacunque luce, aut quocunque sub sidere prognati, si cætera vel Lynceos habeant oculos, nequeant deprehendere. Neque sententiæ huic nostræ derogare quippiam debet, quod istiusmodi, quæ diximus, ingenia insipida plerumque sint atque inepta, & quod iis, quæ infirmissimo ætatis tempore à Nutricibus aut Pædagogis præscripta Ipsis ac veluti imperata sunt, sine ullo examine aut delectu adhærescant. Non enim inde consequitur, quod in isthoc notitiæ genere non acutius cernant, quam alii. Nunquid enim Ipsa experientia docet, Eos qui imbecilliori sunt visu, in crassissimis tenebris mille rerum species ac discolores figuras conspicere, quæ Aliorum quantumvis vegetam effugiunt aciem; Nunquid & ii qui ex nimio febris ardore delirant, ea sæpissime inveniunt suaque imaginatione complectuntur, quæ sanæ mentis Homines omni studio atque contentione assequi non possunt; Nec minus tamen oculorum hebetudo, & febris, & delirium, in vitiis ponuntur. Ita licet stupor atque stoliditas, & inepta ad quodvis credendum propensio

sio, inter animi virtutes non recenseantur, solent tamen illa Hominem ita instruere atque perficere, ut principium hoc nostrum de Ecclesiæ autoritate, primo statim occursu amplectatur, ipsique firmiter adhæreat. Oportet enim, ut inter facultates nostras, & eas res quæ nobis obversantur, certa quædam ratio atque proportio intercedat, ut, quod in eum finem, in spem scil. carduorum, mature obdurescant.

Quare nemini mirum videri debet, quod ea quæ de Romanæ Ecclesiæ Divinitate asserimus, Intellectui nondum initiato, nec principiis nostris assueto, tantisper videantur obscura, donec, ut solennibus mysticæ Theologiæ vocabulis utar, ita fuerit *stultificatus*, ut ad *non apparentia rationis entia* percipienda devenerit capax. Quod ipsum quibus artibus confieri possit, & jam a Sapientibus nostris hactenus factitatum fuerit, & nos alias fusiùs & peculiari tractatione docebimus.

Atque ita quidem ostendimus fundamentalem nostram de Eccelesia doctrinam, & *primo* & *secundo* significatu esse *indemonstrabilem*; restat ut *tertio* quoque sensu, hoc est, ex factæ Jam demonstrationis hypothesi talis esse dicatur. Id quod ex priori nostra epistola aperte constat. Jam enim ibi Pontificiæ religionis, & in ea fundatæ potestatis demonstrationem, non *a priori* quidem, ut Scholastici loquuntur, *a posteriori* nihilominus confectam dedimus. Unde speciminis tamen ergo vel unicum hic repetamus argumentum, illudque vestro exemplo in hanc trianguli formam rotundemus;

Potestas, cui viribus humanis resisti non potest, illa cœlitus est delapsa.

Atqui Potestati Ecclesiæ Romanæ humanis viribus resisti non potest.

E. Ecclesiæ Romanæ potestas cœlitus est delapsa.

Prima Propositio per se est clara; alteram multorum seculorum experientia probat. Unde tertia rigida perstat, atque immota ——— *veluti Marpesia cautes.*

Quod si quis adeo immobilis sit cerebri, ut quan-

tumvis syllogistica circulatione in gyrum circumagatur, de vertigine tamen possit esse securus, is demonstrationis hujus propositiones *per Testes* etiam confirmare poterit, Vestro, *Viri Reverendissimi*, exemplo, qui superiori anno admirabilem istam à ICtis petitam probandi rationem promulgastis, & à nescio cujus Helmstadiensis Theologi ineptiis, tanto cum successu defendistis, ut *in posterum nihil solidi vobis videatur à Protestantium Theologis exspectandum, si nimirum* & divinæ & Humanæ *Jurisprudentiæ ignari fuerint*, quales scil. In *Julia* ista Academia hactenus fuerunt *Calixtus*, *Conringius*, Eorumque Discipuli, misélli plane Tenebriones atque inficetum Hominum genus.

In Præf.

Testium autem aliquot adduci possent cohortes, qui de invicta Romanæ Ecclesiæ Majestate scripserunt. Nunc unicum tantum producam, sed qui & de præteritis & de futuris temporibus testatur, Historicum simul & Prophetam, beatissimum *Campanellam*; *Quod si*, inquit ille, *omnes Principes & Populi omnia sua auxilia conferant ad solvendum Papatum, nihil tamen efficient. Si expeditio Crucigerorum saltem unica indiceretur, omnes ubique Religiosi, quorum multæ sane milliones, ad arma provolarent, mundo universo lingua gladiisque restituri ac terrorem incussuri. Neque enim Populi contra Homines sacros arma inferre essent ausuri; atque nisi omnes, maxima tamen illorum pars esset succubitura, cæteri vero sic exterriti animum abjicerent. Et etiamsi Papa sceleratus sit homo, tamen Princeps gladium in eum stringens, vincetur etiam vincens; id quod in Rogerio Guiscardo Rege Neapolitano manifestum factum est, qui prælio vincens, Papæ pedibus tamen osculum figere coactus fuit.*

De Monach Hisp. cap. XVIII.

Imo idem ille syllogismus (adhibita tamen ea, quam diximus, cautione) ex innumeris Sacrarum Literarum testimoniis probari posset, ex quibus unum sufficiat; *Datum est* (scilicet à Deo) *Ei* Ecclesiæ Septicolli) *bellum facere cum sanctis & vincere eos, & data est ei potestas in omnem tribum & linguam & Gentem. Et adorabunt Eam Omnes habitantes*

in

in terra. Unde Ipsamet in suiipsius admirationem rapta, *Sedeo Regina*, inquit, *nec sum vidua, nec videbo luctum.* Habet enim promissum, quod *portæ inferorum ei non prævalebunt*; & promissi rationem; *Nam si Satanas adversus seipsum dissideret, quomodo staret regnum ejus?* Apoc. XIII. 7. Apoc. XIX. 11. Luc. XI. 18.

Denique, quemadmodum Philisophus nuper hypotheses suas propterea pro certis assumsit, quod omnem rerum Universitatem iis superstruere, atque omnia phænomena inde explicare potuerit, sic nos quoque eodem jure principium nostrum ponimus, ac duobus istis syllogismis confirmamus;

Illud cui immensa aliqua, & ex mille partibus composita moles, adeo firmiter innititur, ut nuspiam vacillet aut nutet, omnino solidum est fundamentum.

Atqui huic Propositioni, Ecclesiæ Romanæ Autoritas est Divina *tota Pontificii Imperii moles innititur.* E.

Item: *In quod omnia dubia possunt resolvi, ita ut ipsummet non solvatur, illud est primum dubiorum omnium principium.*

Atqui hæc Propositio, &c. E.

Sic à Vobis, *FRATRES* REVERENDISSIMI, didicimus *in forma argumentari*, id quod ad persuadendum mirificentissimam efficaciam habere dicitur, adeo ut non dubitem, quin Hæretici jam vel his syllogismis perterriti, manus suas, sint daturi. Quod nisi extemplo fiat, proxime ad demonstrationes de *Verbo Dei* pergemus. Vos interim favete & plaudite. *Parisiis, in Conventu majori. Cal. Octobr.* CIↃ IↃ CLXVI.

JANI ALEXANDRI FERRARII

Cœnobitæ Augustiniani Epistola Tertia,

AD

Reverendissimos Viros.

ADRIANUM & PETRUM DE WALENBURCH



UIBUS rationibus inducti *Ecclesiæ Romanæ autoritatem* inter ἀναπόδεικτα sive *indemonstrabilia* retulerimus, ipsamque adeo demonstrationum nostrarum seriem à Verbo DEI ordiendam esse statuerimus, id superiori jam epistola fusiùs est explicatum. Quare ad institutum ipsum nunc accedemus, atque omnes per universam Theologiam, à Lutheri, & Calvini Sectatoribus in controversiam vocatas propositiones, primum nude simpliciterque proponemus, dein singulis, ubi opus erit, explicationem, ac postremo loco demonstrationem subjiciemus. Quantum autem ad probationis formam attinet, animus quidem erat *syllogisticis figuris* uti, verum consilium postea mutavimus, consultiusque judicavimus, rationes nostras libero potius atque continuo sermone exponere, quam eas vel ad *Barbaræ* sinum effigiare, vel in *Celarentis* aut *Felaptontis* includere modulos, præsertim cum omnis illa syllogistica textura, si ad Vos respiciam, inutilis penitus fuisset atque supervacanea. Audio enim omnia quæ vel oculis vel auribus vestris usurpatis, ubi vel extimam *pinalis* vestræ *glandulæ*

dulæ superficiem attingunt, vi quadam plane mirifica, & tantum non *transubstantiativa*, in *formales* syllogismos confestim *triangulificari*.

QUOD IGITUR TOTI SACROSANCTÆ MONARCHIÆ FELIX FORTUNATUMQUE, & Omnibus, qui Papæ Numen invocant, ad vitam opimius splendidiusque transigendam, utile sit atque salutare, esto.

PROPOSITIO I.

Ad obtinendam salutem Religio aliqua est absolute necessaria.

EXPLICATIO.

CUM propositum nobis fuerit non nisi ea demonstrare Catholicæ Fidei capita, quæ à Lutheri & Calvini Assèclis impugnantur, mirum fortassis alicui videbitur, quod isthanc Propositionem probandam susceperimus. Eam enim & illi non tantum ut veram defendunt, sed etiam ut necessariam urgent, & adversa sentientes ex ipsa hominum societate ejiciendos existimant. Mirari tamen ille desinet, ubi cognoverit, eandem quidem verbis, sensu vero diversissimam ab Hæreticis sententiam statui. Nam quantum quidem ad vocem RELIGIONIS, idem Illis sonat atque Nobis; *metum* scilicet *Invisibilis alicujus, & supra humanam conditionem elatæ Potestatis, quæ à Mortalibus, ut pote inferioribus atque impotentioribus, submisso cultu est prosequenda.* Def. 1. SALUTIS vero vocabulum, licet *generatim* ab utraque partium eodem sensu accipiatur, pro *summo* nimirum atque *extremo Veritatis, Pietatis, & Sanctitatis, adeoque universæ Religionis fine*; *speciatim* tamen diversissimo usurpatur significatu. Cum enim Def. 2.

 ex

ex *axiom. unic. cp. prim.* illud solum pium, verum & sanctum censeri debeat, quod ad Ecclesiæ, id est, ex *def. un. ib.* imperii Pontificii defensionem atque amplificationem facit, necessario colligitur, voce SALUTIS, nihil aliud Nobis significari, quam *affectabilis illius, quod sub Christi nomine Vicarius Ejus in terris exercet, Dominii magnitudinem, atque perpetuitatem.* Hæretici vero longe aliter vocabulo isto abutuntur, ad notandum scilicet nescio quod imaginarium Christi regnum, quod *invisibile* dicunt, heic quidem terrarum *internum*, in cœlis vero *æternum*; & quod cum nostra salute, id est, cum Romani Imperii incolumitate consistere posse diserte negant. Ubi, ne quis forte erret, in transitu observandum, *Imperii Romani* nomine haudquaquam nobis intelligi profanum illud, quod vulgo hodie vocant l'Empire d'Allemagne, Germanis **das Römische Reich**, sed isthuc nostrum vere sacrum, imo sacerrimum, quod Pontifex Noster Vice-Deus in terris administrat. Nam quantum ad Cæsares, & reliquos Mundanos Reges, illi nec Romæ sunt, nec in urbem illam quicquam obtinent juris, imo quicquid habent, solius Ecclesiæ beneficio possident, tanquam *feudum*, eoque nomine Ipsius sunt *Vasalli*, unde imperite & ridicule admodum, Romanorum sive Imperatores, sive Reges vocantur.

Def. 3. Hæreticorum igitur explicatio toto Cœlo à nostra distat, dum illi per *salutem* intelligunt eam, quam immortalitatis nimium avida, ac proinde credula Mortalitas, in Elysiis, credo, campis fruendam exspectat, beatitatem; nos vero certam ac præsentem felicitatem notamus; quam posteriorem significationem priori nobiliorem longe atque excellentiorem esse, & ad farinam, quod aiunt, multo plus facere, vel inde patet, quod ex omnium Prudentum judicio, *bona certa, atque præsentia, futuris & dubiis sint præferenda*, adeoque & *Ecclesia de præsentibus semper gaudeat.*

D E-

DEMONSTRATIO.

CUM per *Salutem* nihil aliud intelligatur quam Ecclesiæ incolumitas, *ex def. Prop.* 1. Ecclesia autem *ex def. un. Epist.* 1. sit regnum spirituale, quod in metu & obedientia spirituali, adeoque *ex def.* 1. *prop.* 1. in religione unice consistit, necessario colligitur, salutem sine aliqua religione obtineri non posse; id quod erat demonstrandum.

Vis hujus complexionis adeo evidens est & firma, ut non sapientes solum omnes Legislatores, & Rerumpublicarum Architecti, ab omni ævo eam observaverint, sed & pueri hodie in scholis discant, Remp. etiam mundanam consistere nullam posse, nisi ipsi vel præstruatur, vel prætexatur saltem Religio. Politicorum vero Cyclici quique scriprores (quorum innumerabilem in Germania vestra *pullulaginem* hoc seculo *vermiculari* Eminentissimus Noster *Richelius* solebat dicere) ex *Platone*, *Aristotele*, *Tullio*, *Seneca*, ad nauseam usque sexcenties dictant, ac millies consarcinatis systematibus repetunt, Religionem Imperiorum fundamentum esse. Quod quidem non adeo operose erat inculcandum, cum nemo de eo dubitare possit, nisi qui & expers plane sit omnium rerum & in omni Rep. peregrinus. *Quod si enim*, ut cum *Plutarcho* loquar, *universum terrarum orbem perlustres, invenire possis urbes muris, literis, legibus, domibus, numismate carentes, gymnasiorum & theatrorum nescias: urbem templis Diisque carentem, quæ precibus, jurejurando, oraculis non utatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris avertere conetur, nemo unquam vidit. Facilius ego urbem condi sine sole posse putem, quam opinione de Diis penitus sublata, civitatem coire, aut constare.* Atque hoc est quod *Savaedra*, cum erubesceret iterum dicere, quod toties dictum esset, pingere maluit, Reip. *columnis, legibus puta, in* *Contra Coloten.*

Essais l. 2. c. 16. *aere fluctuantibus*, nisi religionis basi innitantur. Idem, sed nove & breviter, ut pleraque, *Montanus* noster; *Toute police a un Dieu a sa teste.* Nimirum *hominum prudentium & sapientium negotium semper fuit, populum in religionibus fallere*, ut pulchre notavit *D. Augustin. de Civit. Dei lib.* iv. *cap.* 23. *Ut* enim *actiones venerabiliores fiant, ad Deum sunt referendæ, ex consilio Camp. de Mon. Hisp. cap. 9.* quandoquidem *Omnes Divinam potentiam pluris faciunt, quam humanam*, ut recte observavit *Sanctissimo Papæ Alex.* VI. *à Conciliis* sapientissimus *Machiavellus in discurs. de Republ. l.* 1. 11. Nec, si Hominis naturam consideres, res aliter se habere potest. Sunt enim omnes homines natura æquales, ut vere *Hobb. de Civ.* unde ex naturalis illius æqualitatis sensu, adeoque ex generali atque omnibus mortalibus communi ambitione, non ita facile se homo homini, quam Deo subjicit. Ut vero homo ineluctabili necessitate compulsus, in societate vivere possit, pactis quidem & legibus sese obstringit, verum illæ leges non nisi in externos actus, & eos quidem certis rationibus probatos, armantur, adeo ut non tam ipsa scelera, quam scelerum deprehensio, nec tam malitia, quam imprudentia puniri videatur. *Fr. inn. ad Ant. Fabr. de relig. reg.* *Quisquis igitur injurias, adulteria, rapinas, homicidia, occulte committere possit, is certe leges humanas parum curabit, nisi lex alia sit, quæ intus, & in animo male agenti intentet minas.* Hinc *Polybius* postquam narrasset, *religionis curam superstitionemque apud Romanos tantopere auctam esse*, ὥστε μὴ καταλιπεῖν ὑπερβολὴν, tanquam ex profundis tenebris lucem aliquam eminus adventantem per rimulam conspiciens, addit: ἐμοί γε μὴν δοκοῦσι τοῦ πλήθους χάριν τοῦτο πεποιηκέναι. πᾶν γὰρ πλῆθός ἐστιν ἐλαφρὸν, καὶ πλῆρες ἐπιθυμιῶν παρανόμων, ὀργῆς ἀλόγου, θυμοῦ βιαίου. Λείπεται, τοῖς ἀδήλοις φόβοις, καὶ τῇ τοιαύτῃ τραγῳδίᾳ τὰ πλήθη συνέχειν. Hæc Stratagematographus iste, cui si quis nolit credere, næ ille damnandus est, ut non *Lipsii* solum *Monita* (est enim exiguus nimis libellus) sed ponderosa ipsius

R. P. F.

R.P.F. *Adami* **Kunken** Politica, cum omnibus suis notis & appendicibus, & universis Germanorum Locis Communibus, jejuno stomacho, ac sicco gutture deglutiat. Sed ohe! ad institutum.

Quod si igitur ad quodvis Imperium stabiliendum atque conservandum, necessaria sit religio, quanto magis ea ad hoc nostrum requiritur, quod totum sacrum est atque spirituale, nec à Profanis Hominibus, sed à sacratissimo Pontifice administratur. *Per religionem*, inquit, sæpius jam laudatus nobis *Thomas*, *Papa dominatur Europæ, Asiæ, Africæ, Americæ, &, ut uno verbo dicam, omnibus Christianis hujus mundi. Qui enim Religionis Majestate pollent, iis obsisti non potest. Aspice Samuelem, qui Saulum solio imposuit, rursusque deposuit, electo Davide. Papa vero quid non in isthoc genere ausus est atque effecit? Aspice Mosen, qui solus cum Levitis & Sacerdotibus, arma induit contra populum Israeliticum rebellantem, & contra Principes, qui cum uxoribus suis millionem numero excesserant, atque armis unius tribus sacerdotalis, trucidavit una die trigesies ter mille homines.* De his Sacerdotibus vere dici potest, quod in eorum manibus *vivus sit sermo DEI & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum*, ut ait *Anonymus* quidam in *Epist. ad Judæos. cap.* 4.

De M. H. c. 19.

Id. c. 18.

PRO-

PROPOSITIO II.

Religio autem naturalis ad salutem non sufficit

EXPLICATIO.

Def. un. PEr religionem naturalem, intelligimus; *comprehensionem notitiarum de superiori aliqua & invisibili Potestate, sive illæ humanis mentibus congenitæ sint, sive ex contemplatione Universitatis Rerum, certâ quadam ratiocinatione collectæ.* Notationes illæ Nostratibus dicuntur *Les cinq point du Catechisme des Deistes*; Germanis, **du funff Haupt stu** [illegible] **der allgemeinen naturlichen Religion.** Explicavit eas inter alios ex Nostris quidem, Venerabilis Pater *Garassus*; inter Hæreticos vero *Herbertus*, in Theologia sua fundamentali, quam duobus libellis, altero *de Laicorum*, altero *de Gentilium religione* est complexus; quorum tractatuum priori, obstetricatus est Vir omni Omnium laude & veneratione major, atque eo ipso nomine nebis non nominandus; alteri vero sesquihæreticus ille Belga, quem nostis, ingeniosissimus *Isaacus Vossius*. Recensentur autem articuli isti hoc ordine. 1. Esse aliquod supremum Numen. 2. Numen illud coli debere. 3. Virtutem, cum Pietate conjunctam, optimam esse rationem Cultus Divini. 4. Resipiscendum esse à peccatis. 5. Dari præmium vel pœnam post hanc vitam.

Nos quinque ista axiomata, adeoque religionem naturalem, negamus sufficere ad salutem.

DE-

DEMONSTRATIO.

EX quinque istis modo commemoratis religionis naturalis capitibus, non sequitur Omnes Mortales Romano Pontifici obedientiam debere. Potest enim quis credere, 1. *esse quoddam Numen*, sicut non credat Alium, præter Reges ac Principes, Numinis istius Vicarium, eumque Universalem & Spiritualem in terris existere. 2 Potest credere *Numen illud coli debere*, nec tamen inde persuasum habere Pontificis nostri vel nates vel pedes, (perinde enim est, cum totus uniformiter sit sanctus) esse deosculandos, aut ipsum in elevatione super Altari adorandum. 3. Potest credere *virtutem, cum Pietate conjunctam, optimam esse rationem cultus Divini*; dubitabit tamen, an Virtus omnis consistat in liberalitate erga Clerum, & an omnis Pietas cœcâ erga Ecclesiam obedientiâ absolvatur. 4. Potest credere, *resipiscendum esse à peccatis*, licet sacramentalem Pœnitentiam penitus ignoret, nec sacro aliquo siclo à sacerdote absolutionem redimendam putet. 5. Tandem potest credere, *dari præmium vel pœnam post vitam hanc*, licet forte existimet, Poëticum fuisse, ac minus sincerum istuc *Sinceri Actii* ad *Clementem* alloquium. Sannaz.

Magne Parens, custosque hominum, cui jus datur uni,
Claudere cœlestes, & reserare fores.

Proinde *ex defin. un. h, propos. & def.* 3. *prop.* 1. Religio naturalis non sufficit ad salutem. Id quod erat demonstrandum.

COR-

COROLLARIUM

Ergo, ex solo lumine naturæ non constat, Pontificem Romanum esse Dominum Universi, nec mysterium hoc omnibus Gentibus est revelatum.

SUNT, qui objiciunt, omina Gentilium, oracula, & auguria, quibus Romanæ potentiæ æternitas, ab antiquissimis temporibus fuit præsignificata. Enimvero fateor, mirabile esse, atque omnium, & quatuor & duodecim Hebræorum Vatum oraculis, & Urbis Romæ primordiis, longe vetustius istuc Prophetæ *Homeri Iliad.*

Νῦν δὲ δὴ Αἰνειάο βίη τρώεσσιν ἀνάξει,
Καὶ παῖδες παίδων, τοίκεν μετόπιθε γένωνται

Nunc autem Trojana Aeneas sceptra tenebit.
Et Nati Natorum, & qui nascentur ab Ipsis.

Quippe Jupiter Romanis,
——*nec metas rerum, nec tempora ponit*;
Imperium sine fine dedit; ————

Ut Maro postea vaticinatus. Nec per viros tantum sed & per mulieres fatidicus ille Spiritus Romani Dominii æternitatem prædixit. Legimus enim istuc *Erinnæ* Poetriæ, quod, ut Delphicam majestatem propius accedat, Græco sermone referemus;

Χαῖρε μοι Ρῶμα θυγάτηρ Ἄρηος
Χρυσεόμιτρα, δαΐφρων ἄνασσα,
Σεμνὸν ἃ ναίεις ἐπὶ γᾶς ὄλυμπον
Αἰὲν ἄθραυστον.
Σοὶ μόνα πρέσβιστα δέδωκε μοῖρα
Κῦδος ἀρρήκτω βασιλῆον ἀρχᾶς,

Ὄφρα-

Ὄφρα κοιρανῆον ἔχοισα κάρτος
Ἁγεμονεύῃς.
Πάντα δὲ σφάλλων ὁ μέγιστος αἰὼν,
Καὶ μεταπλάσσων βίον ἄλλοτ' ἄλλως
Σοὶ μονᾷ πλησίστιον ἔρον ἀρχᾶς
Ου μεταβάλλει.

Quæ Romano idiomate ita se habent;

Filia ò Martis mihi Roma Salve,
Aureo regina decora cultu,
Quæ vel in terra *stabiles Olympi*
Incolis arces.
Nam dedit soli Tibi cana Parca,
Regium sceptrum *minime atterendum*,
Ut potens rerum domineris una,
Imperitesque.
Ipsa quæ gaudet variare cuncta,
Resque transformans Hominum Vetustas
Spirat hæc uni tibi semper auram à
Puppe secundam.

Nam ex *Chæronensis* augurio, *Fortuna quidem alata est & vaga, & modo Assyrios, modo Medos, Persas, Macedones, Carthaginenses lustravit, Eosdemque destituit, sed ad Tiberim alas posuit, volubilem globum reliquit. & urbem perpetim inhabitatura intravit.*

Tandem & in extremam admirationem merito omnes rapit Vates *Venusinus*, qui non Romani tantum Imperii, sed Pontificatus quoque nostri perpetuitatem, æthereo, quo repletus erat, spiritu agitatus, præcinuit;

Non omnis moriar, multaque pars mei *l. 3. Od.*
Vitabit Libitinam : usque ego postera *ult.*
Crescam laude recens, *DUM CAPITOLIUM SCANDET CUM TACITA VIRGINE PONTIFEX.*

Id est, *in æternum.* Quæ ultima verba Paraphrastes

phrastes noster Gallus, Venerabili *Marolio* longè venustior, prægnantibus vocibus ita reddidit; *tandis que le Pontife montera au Chateau de St Ange quelque religieuse, qui le laissera faire & ne dira mot.* c'est á dire, *tandis que le Monde durera.* In quem locum novissimus Commentator monet inspiciendas esse Pontificum, itemque Dominarum *Maroziæ, Theodoræ, Vannociæ*, & *Olympiæ* vitas, non sane quas Hæretici scripserunt, sed quas nuper *Lugduni* edidit Rev. P. F. *Franciscus Carriere, Aptensis Minorita Convent D. Theol.* amicus noster singularis, & quem honoris causa nominamus.

Sunt igitur qui existimant, Hominem attentum, & salutis cupidum. ex his & consimilibus Gentilium oraculis, Pontificii Imperii Divinitatem atque æternitatem, colligere facile potuisse, adeoque *Romanæ Ecclesiæ Potestatem E X I P S O L U M I N E N A T U R A E* Mortalibus innotescere.

Verum enim vero quicunque illi sint, qui contra *Corollarii* nostri veritatem talia objectant, judicio quidem meo oppido falluntur. Nam primum quidem oracula ista nequaquam Universali Naturæ Lumini, sed vel Paucorum astutiæ, vel Lectorum potius & Interpretum, quam Autorum ingenio sunt adscribenda, neque ad Naturalem religionem, sed ad δαιμονίων διδασκαλίαν, hoc est, ad potissimam partem mystici Choragii pertinent. Deinde, licet illa præsignificent Imperii alicujus Romani, atque in eo Sacerdotalis Ordinis æternitatem, minime tamen isthanc portendunt Monarchiam, quam in universum fere terrarum orbem *Pro-Christus* Noster extendit. Hoc enim *est mysterium à seculis absconditum, nec nisi ultimis temporibus revelatum, quod nec oculus antea viderat, nec audiverat auris, neque in cujusquam descenderat mentem.* Quippe inter profanum illud Regum, Consulum, aut Cæsarum Imperium, cui olim *Roma* obnoxia fuit, & inter hoc nostrum, immensa interjecta est abyssus, illudque ab isto superatur.


Longius terræ plaga quam remoto
Distat Olympo.

Ele-

Eleganter discrimen hoc explicuit *Nepotiſmi* Scriptor, cujus legendi mihi nudius tertius demum copiam fecit R. P. *Sempercus*, & ex quo, cum dubitem, an ad manus veſtras jam pervenerit, paucula iſthuc referenda duxi, *Parve nata Roma per ſignoreggiare l'Univerſo, e cio ſi può dire con buona raggione, mentre l'ha ſignoreggiato e ſignoreggia. — Ma nel tempo che Roma era Republica, nel tempo che gli Imperadori erano in Roma, Roma non s'ingeri mai a commandar le conſcienze, ne obligo in alcuni tempo, L'anime degli Huomini, a render tributo coſi grande al Vaticano. — — Il Pontefici tutto al contrario confondono inſieme, e lo Spirituale & temporale, volendo di queſte due potenze un ſol corpo, & attaccandoſi piu allo ſpirituale che al temporale, obligano e i Prencipi e i Popoli a preſtarli un' ubbidienza ſi eſatta che la ſola memoria ſpaventa il penſiere ed il cuore, Quel chiudere i Pontefici le porte del Paradiſo al lor modo, quelle aprir quelle dell' Inferno al loro piacere, obliga i Popoli a ſcordarſi della ubbidienza dovuta a loro Prencipi, e di proſtrarſi riverenti a loro piedi. La Republica che dominava il Mondo con la politica, gli Imperadori Romani che lo ſignoreggiavano con l'armi, i Tiranni che lo forzano con la Tirannia, non penetrarono mai maſſime coſi recondite, ne ſeppero humiliare i Popoli alla lor divotione, come s'humiliano al preſente* Hæc Ille. Ex quibus omnibus conſtat, vanum eſſe quod Nonnulli dicunt, univerſalem Pontificis noſtri Monarchiam, ex lumine Naturæ pervideri poſſe. Proxime ad alia progrediemur. Vos vero quam optime valete, *Viri Reverendiſſimi*. Pariſ. in Conv. maj. Id. Novembr. 1666.

Il Nipotiſmo di Roma part. I. lib. I.

JANI



JANI ALEXARDRI FERRARII

Cœnobitæ Augustiniani.

De

Utilitate atque Necessitate

CATHOLICÆ FIDEI,

EPISTOLA QUARTA,

Ad Reverendissimos Viros,

ADRIANUM & PETRUM

DE

WALENBURCH

VIRI REVERENDISSIMI



B exortu pene Urbis Martiæ strenarum usus adolevit, autoritate Tatii Regis, qui verbenas felicis arboris ex luco Strenuæ, anni novi auspice, accepit. Nomen indicio est, Viris Strenuis hæc convenire ob virtutem, atque ideo Vobis hujusmodi insigne deberi, quorum divinus animus

mus magis testimonium vigilantiæ, quam omen expectat. Agnoscitis *Symmachi* verba, quibus Ille *Valentin. Theodos. & Archadium* Augustos olim est veneratus, sed quibus *Reverendissimas Vestras Dignitates*, potiori longe jure, majorique merito, nunc compellamus, quod *strenuam* adeo operam, non profani alicujus Imperii causa, sed pro sacro Ecclesiæ Romanæ Principatu, hactenus navastis. Vos enim estis, *qui mandato Sanctissimi D.* N. *Alexandri* VII. *ad Rheni tractum tunc Nuntii Apostolici (super quem nunc sint preces & pax in Castello Gandolphi)* ex armamentario vestro primi protulistis tela novæ plane fabricæ, ac Priscis Mortalibus incognitæ, *AVXILII* nimirum *SCVTVM*, & *GLORIÆ GLADIVM*, *quæ quanto terrori fuerint Protestantibus, Evangelicis, Reformatis (quibusvis tandem censeri velint nominibus) satis constat ex altis clamoribus, atque* *In præf. Meth. August. edit. ult.* *ibid.*

horrendo ululatu,

Quo Illi aerem undique complerunt. Adeo, ut circa illa ipsa tempora (agebatur autem annus fere hujus seculi quadragesimus tertius) *Catti* trans Taunum, & Melibocum excitati, ad arma fortius conclamaverint, suaque adversus Ubios, quorum sedes tunc habitabatis, præsidia locaverint, tanta cum trepidatione, ac si extremum sibi metuerent à redivivo *Germanico*, aut *Silio*, exitium.

Sed non ob Vestram solum *Strenuitatem strenas* Vobis Catholica Ecclesia debet, verum etiam propterea, quod nuper Calendis ipsis Januariis arma illa vestra à rubigine quidem nonnihil exesa, sed de novo expolita, *Venerabilibus Archiepiscop. Moguntino, & Coloniensi, Pastoribus, & animarum curam gerentibus, strenæ loco* obtulistis, simul ipsos cohortari, ut *novo isto anno, novis animis Hæreticos vincant, deque iis*, si minùs publice atque solenniter *triumphent*, intra conopea saltem sua, festivè ovantes tripudient. Postulant enim strenarum leges, ut Donan-

tibus ἀντίδωρα mittantur, quandoquidem ex veteri instituto, munera

Hoc damus, alternis accipimusque, die.

Quare cum doni illius usus sit omnibus communis, adeoque ad me etiam pertineat, ne inter Alios & ipse ingratus esse existimarer, Vobis, *Viri Reverendissimi*, & ob publicæ salutis defensionem, & ob eximiam Vestram liberalitatem; munusculum aliquod offerendum judicavi; non sane *auro ductum*, cum pro Cœnobitica nostra paupertate, *divitis metalli honore non gaudeamus*; sed, quale à tenuitate mea proficisci potest, chartaceum istuc, quo nonnullas consignavi nuper à me cœptas, Vobisque inscriptas, Catholicæ Fidei demonstrationes.

In quarum serie, ut ad ipsam rem accedamus, ex instituti nostri ratione nunc sequitur

PROPOSITIO III.

Ad obtinendam salutem, sive ad Regalem Pontificatum Romæ stabiliendum, atque conservandum, opus est, præter religionem Naturalem, alia, quæ supernaturalis dicitur.

EXPLICATIO.

QUod per *salutis adeptionem* nihil aliud significetur, quam *Regalis Romani Pontificatus stabilimentum*, ex *Prop. I.* aperte constat. Unde & nos vocibus istis eodem sensu promiscue utemur; Id quod hic semel monuisse sufficiat.

Per

Per *supernaturalem* vero *religionem*, intelligimus *illam dogmatum ac rituum congeriem, quæ non ex communi, atque omnibus usitato Rationis dictamine, sed ex singulari aliqua, & immediata Numinis revelatione, uni alicui, vel paucis Mortalibus innotuisse, atque ab iis ad alios propagata esse dicitur.* Quam descriptionem si conferas cum *def. un. prop.* 2. facile intelliges, quodnam inter utrumgue religionis genus sit discrimen. Enimvero & hanc, quam *supernaturalem* dicimus, *civilem* quoque nominare possemus: vel enim ad civitatem solum constituendam atque conservandam est excogitata; vel, si Ipsum Deum revera Autorem habeat, & ad subliniorem, æternumque finem destinetur, non minus tamen huc conducit. Ne dicam quod legibus civilibus observautia ejus ut plurimum imperetur; adeoque & illo sensu *civilis* dici possit. Ista tamen appellatione, quoniam nullam Audientibus ingerit religionis venerationem, abstinere maluimus, quemadmodum & voce *præternaturalis*, utpote quæ nescio quid alienum, & odiosum sonat. *Supernaturalem* igitur diximus, vocabulo ex nobiliori particula composito, quodque menti nostræ augustiorem quandam ideam imprimit. *Def. un.*

DEMONTS RATIO.

Quandoquidem *ex Prop.* 1. ad Sacri Imperii constitutionem necessaria est aliqna religio; Naturalis vero *ex Prop.* 2. non sufficit; oportet utique, ut in hujus opem atque supplementum, altera illa accedat, quæ supernaturalis dicitur. Id quod erat demonstrandum.

Simplice illo, quem Natura omnes edocuit, cultu, vix ulla unquam Civitas contenta fuit; sed semper eum vel ceremoniarum illustravit splendore, vel novorum dogmatum accessione adauxit; sive illa ab

aliis tradita acceperit, sive suopte excogitârit ingenio: adeo ut si universalis omnium Hominum consensus, ad veritatem aliquam stabiliendam, sufficiat, hinc quoque firmiter concludi possit, supernaturali aliqua opus esse religione. Quod si autem solennior illa, atque operosior cultûs divini Pompa, ad quamcumque Remp. Conservandam requiritur; nemo ita stupidus fuerit, quin pervideat, quantopere ea ad nostrum Imperium sit necessaria, utpote quod totum, quantum quantum est, in sacri choragii institutione, defensione, atque amplificatione consistit.

PROPOSITIO IV.

Religio illa supernaturalis ita debet esse comparata, ut ex se, & principiorum suorum natura, ad salutem collineet.

EXPLICATIO.

DUo sunt *mediorum* genera; alia *ex se& suo ingenio* ad scopum aliquem feruntur, alia vero, *praeter suam naturam*, *arte* quadam eo intorquentur. Illa plana sunt, nativa, genuina, recta; hæc violenta, artificiosa, fucata, obliqua: illa proinde faciliora ac firmiora, hæc difficiliora ac lubrica, & quæ, si maxime ad institutum nostrum inflectantur, ex improviso sæpe nos destituunt, & ad Naturam suam subitò recurrunt. Quandoquidem autem, ut in scholis loquuntur, *Mediorum bonitas in relatione & sufficientia ad finem unice consistit*, utpote *à quo illa & amabilitatem omnem, & ordinem, & mensuram accipiunt*, necessario colligitur, ea perfectissima

ma esse atque optima, quæ ab ipsa natura, internisque principiis, ad finem aliquem obtinendum sunt destinata.

DEMONSTRATIO.

CUm *ex prop.* 3. religio supernaturalis sit medium ad salutem necessarium; *ex hypoth.* autem *Ontosoph. hujus Prop.* illa mediorum sint optima, quæ suapte natura ad finem aliquem feruntur, consequitur necessario talem religionem supernaturalem statuendam esse, quæ ex se, & principiorum suorum genio ad salutem tendat. Id quod erat demonstrandum.

PROPOSITIO V.

Ubi igitur per Antecessorum, sive inscientiam & imprudentiam; sive malitiom, sive contraria nobis studia, jam aliqua supernaturalis religio invaluit, quæ ad nostram salutem non conducit, deleri eam oportet.

EXPLICATIO.

ET

DEMONSTRATIO.

CUm vel *Ramistarum* tyrunculi norint, *media non esse nisi propter finem, adeoque & hoc sublato*

lato illa tolli , ampliori explicatione non est opus.

Certe hæc non ignoravit , quantumvis rudis cætera, atque indoctus ille Camelarius *Muhammed*, qui ex Chadigæ amoribus imperium quæsiturus curculionis sui pretium, cum & veterum æmulorum suorum tribulium Koreischitarum idololatriam , Sabæorum religionem , & superstitionem Judæorum , & Christianorum fidem ab instituto suo dissidere animadverteret, omnia illa abolevit, aliumque substituit cultum ex superioribus commixtum , ac novis adauctum dogmatibus. Neque alio fine , abdicata illa Muhammedis doctrina , *Persæ* recentius prophetantem *Alim* hodiernum sequuntur , nisi quod communem inimicis imperiis cultum periculosum fore credant , consultiusque existiment , inter Ipsos *intergerinum* , ex interpolata saltem religione, *parietem* statui.

Sed quid opus Infidelium recensere exempla, cum Deum Ipsum Autorem in hac causa laudare possimus ? Is enim, cum suam in Israele Theocratiam per *Mosen* esset crecturus , non idololatriam solum, & rectæ Rationi dissentaneas opiniones , ritusque delevit ; verum etiam ipsorum Noachidarum , admiranda *Seldeni* industria nobis unper restitutam, religionem , novis præceptionibus, ceremoniisque cumulavit, eumque præscripsit cultum , cujus singula capita , licet ad mysticos fines referentur , *Rationi* tamen *Status* quam maxime inservirent. Sed quam ipsam religionem, ut ut Divina autoritate stabilitam , multisque miraculis atque prodigiis formidabilem , *Jeroboamus* postea non parum immutavit , quando ex decem à Juda avulsis tribubus , novum imperium constituturus , sedem quoque religionis novam constituit.

Verum de his, ubi *Superiorum indulgentia* optatum mihi, meoque genio, conveniens otium nancisci potero , animus est aliquando fusius differere , desumto tractationis argumento ex *Maimonidæ More Hannev. part. III. cap. XXVI.* & *Regis Cosarcorum part. IV.* §. 13. quem utrumque librum ,

Jud

si animus forte horret *Reuchlinistico*, ab Academia vestra jam olim damnato, charactere exaratum perlegere, in Cœnobii nostri Bibliotheca habemus lingua (*al vostro servitio*) Latina expressum, à Celeberrimo inter Judaizannes Calvinistas interprete, *Baxtorfio* Filio, nuper quidem denato, sed cujus, & propriam, & paternam gloriam, in Nepote ubertim reviresceré narrant semi hæretici *Flavignii* nostri discipuli, adeo ut si quis fortean inter legendum occurrat scrupulus, superstitem sciatis qui omnem possit eximere.

PROPOSITIO VI.

Illa igitur religio supernaturalis, quæ ad salutem non conducit, quam ocyssime uno impetu & aperta vi destruatur, modo id tuto & commodè fieri possit: sin aliter carptim ac sensim, lentisque artibus immutetur, servata semper eadem externa specie, donec ad salutem comparandam sit profecte qualificata.

EXPLICATIO.

DUplici potissimnm ratione aboleri aliquid potest; vel manifesto scilicet atq; violento molimine, vel occultis insidiis, tacitisque progressibus. Prior ille modus commodissime adhibetur, quando ea, quæ deleta cupimus, paucis, iisque solidis, & in omnium oculos incurrentibus partibus consistunt, ita

ut nec varios admittant gradus, nec diversis sese habeant modis, adeoque particulatim dissolvi & occulte labefactari vix possint. Illhæc consultum est uno ictu dirui atque simul tota subverti. Si enim eorum ruinam lenta opera, ac leviori brachio moliaris, frustra eris, nec quicquam efficies, nisi quod intempestive consilium tuum prodes, Aliosque excitabis, ut primo statim limine, Te tanquam Corruptorem & Novatorem inclament, & omnia curiosiùs observent, & ad validiùs tibi resistendum instrumenta congerant. Verum ibi ante omnia accuratè Tibi erit perpendendum, an iis sis instructus auxiliis, iisque præsidiis munitus, quæ rebus uno impetu evertendis, & adversis omnibus opprimendis atque frangendis sufficiant. Quod si enim tantæ vires Tibi non suppetant, alteram tentabis viam, qua laneis pedibus, suspensoque gradu, ac velut per cuniculos ad Institutum pervenias. Atque hæc posterior via maxime ineunda est tum, quando ea quæ abolitum imus, ex plurimis partibus constant, iisque & variis, & minus conspicuis, & quæ & augeri & minui, & intendi & remitti, & multis modis commisceri, adeoque varie se habere possunt; ita ut licet revera immutentur, in eodem tamen statu permansisse, vel saltem ab eo non multum recessisse vulgo videantur. Nam si cunctas illas partes simul removere, iisque omnibus una opera novas substituere velis, fieri non potest, quin turbas concites quam maximas, summamque inducas confusionem, ex qua vel nunquam eluctèris, vel cum ignominia pedem cogaris referre, vel denique Pestilentissimam Tibi confles invidiam. Estque hoc imprimis observandum, quando ea, quæ evellere conaris, jam altas egerunt radices,

Et jam per longas invaluere moras.

Ut enim semper aliàs, ita hic maxime, mutationes vehementes atque subinatæ sunt periculo-

sæ

sæ; unde & in *Propositione* nostra diximus, religionem supernaturalem, quæ jam inolevit, sed ad nostros usus est inepta, uno impetu debere quassari, *MODO ID TUTO ET COMMODE FIERI POSSIT*; sin; alteram insiste viam, tutiorem longe, & non rebus solum, sed & Hominum ingenio magis accommodatam. Ita enim à Natura comparati sumus, ut blande induci & circumveniri malimus, quam aperte cogi, & lenitatem, quamvis insidiosam atque fallacem, lubentiùs admittamus, quam vim manifestam; Quin etiam ubi nobis imprudentibus negotium ad finem est perductum, licet postea nos deceptos deprehendamus, solemus tamen ut plurimum præsenti rerum statu conquiescere potius, quàm pristina, magna cum difficultate dubioque eventu, revocatum ire,

Continet autem posterior isthæc methodus duas præceptiones; quarum altera; *ut sensim atque occulte res immutentur*; altera, *ut earum eadem retineatur externa species*. Quæ duo si recte observentur, incredibiles produ cunt fructus; & qui ipsam, si *D Aquinatem* audias, summi Numinis Omnipotentiam excedere videntur. Iis enim efficitur, *ut partibus singulis, tandemque omnibus sublatis, totum nihilominus integrum permaneat*: quo contradictionem tamen implicari *Thomistæ*, atque *Occamistæ* ad unum omnes docent, uti à meo beatæ memoriæ Præceptore D. N. de *Raconis in Coll. Navarræo* me olim audire memini. Verùm nos, *Scotistas* sequimur, tum & (eos, à quibus potius, quam à Theologis, Catholicæ religionis defensionem, in posterum sperandam esse docuistis.) JURISCONSULTOS. Ita enim *Alfenus* l. 76. ff. *de judiciis*. *Proponebatur, ex his Judicibus, qui in eandem rem dati essent, nonnullos causa audita excusatos esse, inque eorum locum alios esse sumptos; & quærebatur, singulorum Judicum mutatio, eandem rem, an aliud judicium fecisset? Respondi; Non modo si unus aut alter, sed & omnes judices mutati essent, tamen & rem eandem, & judicium idem, quod antea fuisset, permanere*, *Neque in hoc solum* *In exam. princip.*

eve-

evenire, ut partibus commutatis eadem res esse existimetur, sed & in multis cæteris rebus. Nam & legionem eandem haberi, ex qua multi decessissent, quorum in locum alii subjecti essent, & populum eundem hoc tempore putari, qui abhinc centum annis fuissent, cum ex illis nemo nunc viveret; itemque navem, si adeo sæpe refecta esset, ut nulla tabula eadem permaneret, quæ non nova fuisset, nihilominus eandem navem esse existimari. Quod si quis putaret partibus commutatis aliam rem fieri; fore ut ejus ratione nos ipsi non iidem essemus, qui abhinc anno fuissemus, propterea quod, ut Philosophi dicerent; ex quibus particulis minimis consisteremus, hæ quotidie ex nostro corpore decederent, aliæque extrinsecus in earum locum accederent. Ubi *Glossatores* monent, *hoc obtinere in iis quæ successive, & per partes; non vero simul tota mutantur*

Atque idem novi *Metaphysicorum* Doctores, ipsique etiam Hæretici, tradunt. Quorum omnium instar nobis erit *Claubergius;* Vir duplici quidem hæresi, & *Cartesianismo* nempe, & *Calvinismo* infectus; eoque duplici nomine, modo *Tutoburgensium* sepulcreta in nostra potestate essent, comburendus; sed Amplissimo tamen nostro *Clercelerio*, & Amicissimo *Rovræo*, ob singulare ingenii acumen, & orationis perspicuitatem, multum laudatus.

Ille igitur *Ontosoph.* §. 294. *Tota*, inquit, *hæc disputatio, de eodem ac diverso, potius ad modum cogitandi & loquendi pertinet, quam ad res ipsas in se spectatas. Unde sapientum, & vulgi, non eadem hac in re sententia & oratio; imo nec eadem sapientum inter se: quemadmodum, cum ex aliis constat exemplis, tum ex illa Philosophorum disputatione de nave Thesei, quæ legitur apud Plutarch. in Theseo.*

§. 295.

Si non simul & semel, at paulatim & sensim sit mutatio facta, atque ita vix animadversa, res ple-

plerumque dicitur eadem. Sic ignis, qui (ut bene Aristot. lib de Juvent. cap. 5. fluminis instar perpetuo gignitur & fluit, quanquam id præ celeritate nos lateat, idem tota nocte putatur, si continuo foveatur alimento: At si extinguatur ignis semel totus, ac postea demuo excitetur, alius esse perhibetur. Si navis alicujus partes omnes eodem tempore destruantur, alia numero esse dicitur, quæ ejus loco è novis liguis exstruitur: At si per partes reficiatur navis, & plurium demum annorum decursu tota mutetur, non pauci homines, eandem esse, judicabunt; exemplo navis Thesei, in qua postremò, veteris ne una quidem tabula supererat. Hæc identitatis ratio tota ab incuria & inconsiderantia nostra pendet, utpote qui mutationem sensim & paulatim factam, etiamsi non minor sit eâ qua simul & semel contingit, pro nulla fere babemus.

§. 296.

Licet omnia accidentia externa, quæ incurrunt in sensus, mutentur, dommodo maneat invariatum aliquod fundamentum, sæpe res eadem esse censetur. Exemplum habemus in cera liquefacta & fervida, respectu consistentis & rigidæ, in qua sensibilia cuncta variantur: Sed manet extensum & mutabile subjectum, certis proprietatibus ceræ essentialibus prædictum.

§. 297.

Si manserint partes principales, licet minus principales pereant, totum judicetur idem. Ex. gr. si eadem vocetur domus, cujus fundamentnm & muri conservantur, quamvis reliqua omnia destruantur.

§. 298.

Si vel tota mutetur materia, dummodo forma quædam eadem conservatur, totum haud raro dicitur idem

dem permanere. Ex. gr. eadem civitas vel Academia nunc putatur quæ ante centum annos, quamvis alii nunc exstant omnes cives, quam tunc fuere. Quid autem nomine FORMÆ in talibus intelligendum sit, generali conclusione vix definiri queat. Nam, si Civitatem eandem dicas, quia eadem jura & privilegia & ordinem & locum retinet; non tamen iis vel omnibus, vel plerisque mutatis diversa illico putabitur. Academiæ manent eædem licet transferantur, ut fit tempore pestis, aut belli. Civitas potest ex urbe egredi.

§. 299.

Omnis igitur identitas, quæ rebus tribuitur, requirit aliquod fudamentum, quod vel revera vel apparenter maneat immutatum. Unde & ipsæ vel vere, vel apparentur tales; vel secundum esse, vel secundum dici tantum.

Miraremini procul dubio, *Viri Reverendissimi,* quod *Metaphysicis* istis observationibus tamdiu immoramur, nisi Vos ipsi exploratum haberetis, hic totum sacrosanctæ Monarchiæ mysteriosum latere fundamentum; atque his incunabulis, ab ineunte Ecclesiæ ætate cœptum fuisse magnum istuc monstrum ali. Quare omnino operæ pertium existimo, ut hisce meditandis animum quam diligentissime advertamus; certo persuasi, quo penitius ista intellexerimus, eo felicius atque expeditius in reliquis omnibus nos esse versatures. Neque in religione *rectificanda* quicquam ob veniet difficultatis, modo ex istis Principiis artem simulacra condendi, & larvas conficiendi, vel mediocriter addidicerimus. Cui rei magnam afferre potest facilitatem, quod artem colores obducendi, & fucos faciendi, jamdudum utilissima industria, ac summo humani generis commodo, in certum præceptionum systema concinnatam habemus ad cujus quoque usum minori labore nobis comparandum, exempla in omni humanarum actionum genere occurrunt quam pluri-

ma

ma; quæ imitari possimus, quando & ipsa rerum Natura, & Hominum ingenia, varias nobis suggerent opportunitates.

DEMOSTRATIO.

Cum *ex prop. V.* ea religio, quæ ad sulutem obtinendam non est idonea aboleri debeat; *ex iis* autem *quæ modo explicata sunt*, aboleri non possit, nisi vel *vi*, vel *arte*; necessum est alterutrum modum pro temporum, & locorum, aliarumque rerum conditione adhiberi. Id quod erat demonstrandum.

Verum plura alias. Jam enim tabellarius urget. Ita valete in Domino. *Paris. è Conv. maj. Januar.* A. à beatæ Virginis puerperio cIↃ IↃ c Lxv11.

JANI

JANI ALEXANDRI FERRARII
Cœnobitæ Augustiniani,

DE

CATHOLICÆ FIDEI
Utilitate atque Necessitate,

EPISTOLA QUINTA.

Ad Reverendissimos Viros

ADRIANUM & PETRUM
DE

WALENBURCH.

VIRI REVERENDISSIMI,



RISTEM BREVINGII Scholastici vicem ex animo doleo. Curavi jam hodie pro salute Ejus ad D. *Mathurini*, Scholasticorum omnium Patroni, pulvinaria rite adorari, & sacra celebrari quam solennissima. Audiveram quidem antehac sæpius ipsum λειποθυμίᾳ laborare; nesciebam tamen eo deventum, ut Bona Mens Eum perpetuo deficeret. *Guidonem* nostrum consului, Medicum, ut nostis, experientissimum, & qui Vos verbis su-

is

is quam officiosissime salutari jussit. Ægroti nomen subticui, morbum tantum exposui, ejusque symtomata. Jubet Ille *mediam pertundi venam*, tum eam adhibere medicandi methodum, quam *Stentorea* laborantibus præscripsit *Fabritius Bartolettus*. Adivi & alium Medicum; qui morbum istum in simplici ingenii marasmo consistere putat: veretur tamen ne in *totalem*, adeoque incurabilem cerebri cachexiam, quam poxime divergat Ego meliora sperarem, modo vel semel Ipsi daretur ad se redire. Præsens forte esset medicamentum illud, quod vulgus nostrum *Antimonie*, Latino-Galli *Anti-monachum* vocant, & quod Hæreticis quibusdam accuratissime præparatum esse intelligo. Neque enim, credo, religio Ipsi erit ab Hereticis salutem petere, quam vel à Judæis Christiani receperunt. Verum hic sisto; neque Amicissimi Hominis fato jam Vos abunde afflictos, insuavioribus literis diutius detinebo. Dialogum mitto, quem heri ex Italia accepi, de quo quid sentiatis, quam primum mihi significetis, rogo. Paris. ex Conventu majori Cal. Maiis. CIↃIↃCLXVII.

Meth in Dyspnœam sive de respirat.

DIALOGUS

inter

Sonam & *Rophæum*.

Hebr. Sona *est inimica*; Rophe *Medicus*.

Sona Ecclesia Romana.

Roph. PEriculoso Te morbo laborare audivi, Bellissima Sona; unde huc accessi, ut pro ea animi devotione, qua & Parentem, & Sponsum Tuum colo, mea Tibi officia, Medicamque opem offerrem.

Son. De Tua quidem in me benevolentia gratias Tibi debeo, Experientissime Rophæe, sed ut ista de causa ad me venires, nihil erat opus: Iniquam adversus

me

Lutherus, me famam ſpargunt Homines Invidi ac Malevoli; e-
Calvinus, oſque inter, ſceleratiſſimi Transfugæ *Retbulus* &
Ἀναθεματικῶς. *Vſnulca*, quos ego mecaſtor ſi haberem, adeo depexos darem, ut ——

Roph. Ne quæſo iraſcaris, Dulciſſima Domina.

Sona. Ecquis æquo etiam animo iſta poſſit perferre? At nunquid ipſe, mi Rophæe, & ex facie mea & ex totius corporis habitudine cognoſcis, quam pulcherrime me valere?

Roph. Liceat, quæſo, tua cum venia libere & apperte dicere quæ ſentio. Puellula cum eſſes, minus quam nunc videbaris formoſa. Nam & facies Tibi nigricabat quaſi *ſolibus peruſta*; & ex crebra αἱμοῤῥαγία corpuſculum Tuum macilentius erat & aridius; necdum comptulos iſtos habebas cincinnulos; neque geſtibus inerat laſcivior illa agilitas; neque externum acceſſerat decus; non purpura, non palla auro intexta, non gemmis fulgida, Sordidam videre Te memini & pannoſam, longe infra dignitatem Natalium Tuorum, dignitatiſque Hymenæi. Jam vero Te habitiorem ac ſuperbiorem video: Vultûs Tui blandiores illecebræ; & frons generoſior; & elata inceſſûs majeſtas; & nitidior corporis cultus; & veſtium ſplendor; ſupellectilis apparatus; & ebore iſtuc atque auro renidens lacunar oculos omnium adventantium, mentemque, ita perſtingunt, ut *Divæ* inſtar hic ſedere videaris. Verum iſta omnia integram valetudinem haudquaquam promittunt. Non neſcio proprium eſſe fœminarum laudari velle; neque Tibi viſum iri inurbanum & invenuſtum, qui vitia Tua in os Tibi ingeram. Verum & Medici & Amici officium me (ſpero) reddet excuſatum. Quando igitur Te propius contueor, fucata omnia (ingenue dicam) & aſcititia comperio, nec nativum pulchritudinis florem, neque vegetum corporis deprehendo robur. Oculi ipſi, neſcio quid veneni ſpirant, & tabe quadam infectos emittunt radios; iſtaque emplaſtra, quibus faciem hinc inde diſtinxiſti, non tam nitorem ejus commendare videntur, quam maculas tegere, & morbi occultare indicia; neque eſt, quin videat, purpureum iſtum immixtum candido colorem,

ceruſ-

cerussæ potius, & minio, quam efflorescenti sanguini deberi. Signa porro adsunt manifestissima, ex quibus fœda Te lue infectam suspicor, Cedo igitur, ex quo tempore Te morbus incesserit.

Quasi horam notaverim. *Sona.*

Necesse est utique tempus designes, ex quo cœpisti laborare, ut intelligam recens, an inveteratum sit malum. *Roph.*

Cedo igitur & Tu, Bone Senex, qua hora cœperis adeo morosus esse & importunus, Ecquo momento cœpisti senescere? *Sona.*

Eo ipso, quo nascebar. *Roph.*

Qui fieri potuit, ut adolesceres simul ac senesceres, cum duo isthæc sibi sint adversa? *Sona.*

Mitte argutari. Jam aliud agendum instat. Sed quid rides? *Roph.*

In mentem venit disputatio *Septimi* Amasii mei: Ille licet decrepitum sit silicernium, contendebat tamen heri se Juvenem esse. Aiebat, cum à nemine designari possit hora vel locus quo senescere, & viribus deficere cœperit, utique neminem dicere posse, quod consenuerit; atque inde colligebat se ab Omnibus debere haberi Juvenem, & succulentum quidem, integrique roboris. Atque ista ratiocinatione se adeo reficiebat, ut collectis omnibus phantasiæ viribus, fervidius mihi instaret, meque arctius complecteretur, quam Venerem suam *Mavors*, cum *Mulciber* utrumque reti suo involveret; sed mox nervum sibi deesse sensit miser. *Sana.*

Argute. Eadem scilicet ratione evinces Te Virginem esse, & integræ quidem sanitatis, cum horam nescias, qua Te lues isthæc primum incesserit, nec forte memineris, quo coitu prima susceperis contagii semina. *Roph.*

Fateor me ista in Calendario non scripsisse, neque ætatis ejus recordari, qua Virgo fuerim, aut esse desierim. Nam & *infans cum paribus inquinabar, & subinde prodeuntibus annis, majoribus me pueris applicui, donec ad hanc ætatem perveni. Vitulum puella solebam tollere, quo facilius adulta tauram sustinere possem.* *Sona.* Petron.

Et tamen vel sanctissimis Vestalibus videbatis sanctior. *Roph.*

Sona. Vultum sane ad modestiam & pudorem ita didiceram componere, ut vel astutissimos Censores fefellerim. Non secus atque *Aretini Nanna*, quæ virginitatem suam sæpius vendidit, *che non vende un di questi pretacci la messoa nevella attaccando per ogni cita police a le chiese del suo cantarla.*

Ragion. part. 1. giorn. 3.

Roph. Verum edissere, quo modo in istam vivendi rationem incideris, cum & nata fueris Patre sanctissimo, & destinata Sponso Nobilissimo, & educata singulari cura atque solicitudine.

Sona. Nosti, Amicissime Rophæe, Natales meos, & quo pacto sponso meo primis annis à Patre fuerim tradita; ut ad Ipsius ingenium lubitumque educarer. Nosti quo animo Ille ad Patrem abierit, non prius quam ad perfectam ætatem pervenissem, ad me rediturus, meque deducturus domum. Antequam discederet, mihi singulisque meis sororibus, *Pædagogos* præfecit; quorum cura, & vitæ exemplo, ad Pietatem & Castitatem excitaremur, & diversis instrueremur linguis; unde factum, ut *sororum mearum alia Græce, alia Persice, Arabice alia, alia Æthiopice loquatur.* Noluit eodem nos loco cohabitare, sed dissitis educi provinciis: sub *unius tamen fere Tutoris* imperio, qui & Bona nostra omnia administraret, & supremam in Pædagogos haberet potestatem. Vir ille erat ferocis ingenii, & qui me sororesque meas durissime habuit; sive ex occulto *Parentis nostri* mandato, qui rigidiori disciplina pudicitiam nostram custodiri, & lasciviam coerceri voluit; sive ex nativa quadam sævitie, & concepta erga nos malevolentia. Habitabat tunc temporis *Valentiæ*, ubi & ego educabar, Quare sorores meæ, quando negotii aliquid apud Tutorem nostrum peragendum habebant, *Pædagogi mei* cura atque opera, & mea commendatione utebantur; unde multum Ipsi præ reliquis accessit autoritatis; atque ego quoque licet natu minor, germanas tamen omnes temporis progressu facile antecessi. Habebar equidem durissime; adeo ut quamvis à multis tentarer, ipsaque ad libidinem sponte profusa essem, non nisi clanculum tamen lascivire licuerit. Curabat scilicet eodem modo

ῥώμη

do, quo *Boccalinus* Noster docet ab Hispanis *mortificari* equum Neapolitanum, *che molte volte in un tempo medesimo piu tosto ha voluto esser cavalca o da due Regi che da un solo.* Sub severiori ista disciplina jam tertium exegeram ætatis lustrum, quando demortuo Tutori successit alius, *Magnus* scilicet ille, quem nosti, *Quadratus*; Vir mihi sororibusque meis indulgentissimus, quique nobis ac Pædagogis nostris ea concessit, quæ Pater & sponsus concessa noluerunt, ut ab eo tempore rescivi. Pædagogi vero mei artibus ita delinitus fuit, ut *Valentia relicta*, & domicilio *Zantybium* translato; Ipsum suomet, meque Ipsius arbitrio fere commiserit. Ibi cum Tutoris metu minus contineremur, suavius longe & familiarius vivere cœpimus; meusque *Pædagogus divitiis*, quas administrabat, indies accumulatis, & crescente autoritate atque potentia elatus; ausus est de nuptiis me publice solicitâre, meque ultima amare linea. Jactabat, sponso absente, me Ipsi propriam esse; eamque in rem Parentis mei laudabat testamentum, quod parce mihi lectum, Ipse iu suum usum explicabat. Sæpius ad me conversus, si quis (aiebat) Sponsi Tui erga te amor esset, si conjugii inter vos initum fœdus maneret ratum: non Ille peregre ad Patrem ivisset; neque per tot annos hic Tè destituisset solam; neque tam sævo Te prius commisisset Tutori; neque tam acerba Te jussisset premi servitute; neque tam duras fixisset leges, quarum observantiam ne à vilissimo exegerit mancipio. Deinde quam gravis ille & incommodus, quam prodigiosus & ridiculus est habitus quo Te, ad ludibrium credo, indui voluit? *Cinctorium Veritatis*; *Thoracem justitiæ*, *calceos præparationis Evangelicæ pacis*, *scutum fidei*, *galeam salutis*, *& gladium spiritus* vult esse *nuptialem* Tuum amictum. Quis post hominum memoriam sponsus Amasiæ talem destinavit ornatum? Quin *byssus* Tibi convenit, & *popura*, *& coccus*, *& pretiosi lapides*, *& margaritæ*. Hæc Tuæ sortis puellam decent.

Idem sane Tibi accidit, quod nuper *Scarronius* amicus noster ex Galliis ad me scripsit obtigisse

Constantinus.

Roma.

Byzantium.

Eph. v.

Apoc. XVII.

Roph.

Les precaution inutiles.

Lauræ, cuidam nobili fœminæ Hispanæ.

Recita historiam.

Sona. Ropb. Est inter regni Proceres DON PEDRO; Vir & ingenio, & rerum usu perspicacissimus; muliebrium imprimis artium, & quam lubrica Ipsarum sit & fides & castitas, perquam gnarus. Is *Lauram* formosissimam puellam, extra Virorum consortium Monasterio inclusam, & rigidissimis legibus constrictam curavit educari, donec ad decimum sextum ætatis annum pervenisset, quo eam sibi despondit, domumque duxit. Illa, non minus quam *Semplicetta*, quam *Albaspina* nostra apud *Marinum*, *quid luxuries esset*, prorsus nesciebat. Edicit Ipsi *Don Pedro*, Conjugalem honestatem in eo consistere, ut tota cataphracta, galeata, gladiata, hastata, decumbenti Marito integras noctes adesset, ac suaviter dormienti advigilaret. Præstat illa obsequium; cujuscunque alius εὐνοίας aut voluptatis ignara; dum paucis post diebus

1. Cor. VII. 3. *Don Pedro*, in aulam avocatur. Relictam domi solam interim invisit Vir nobilis vicinus; intelligit Mariti institutum, ridet, & diversam longe jucundioremque conjugii rationem docet. Redit *Don Pedro*; &, toro se commissurus, novam uxoris scientiam miratur; quæ, galea & thorace neglectis, se alium plane, & faciliorem, suavioremque Marito utendi modum, edoctam esse gloriatur.

Sona. Apposite: Nam & primus infantiæ meæ Informator *Petri* habebat nomen, & consimilia dictabat, difficilia & ingrata; nimirum *ornatum meum non debere esse exteriorem, in capilli cincinnis, & auri circumpositu, aut palliorum amictu, situm*; meque *beatam* deprædicabat, quando *propter justitiam multa paterer incommoda*, & *suppliciorum sponsi mei devenirem consors*. Verum ista, ceu inepta & absurda, derisit recentior Pædagogus meus; meque docuit, *aliam* jam *ætatem* esse, *alios proinde postulari mores*: me neque *pristinis* etiamnum *elementis subjectam*, neque *infantem* esse *quæ à serva nihil differat*; *sed emancipatam*, & *à veteri liberatam jugo*. Unde etiam cavit, ne Eorum, qui ipsum præcesserant, Præceptorum, *Piedri & Paoli* epistolas ac monita, ultimave

1. Petr. III.

Gal. IV.

ve ſponſi mei mandata , crebrius aut attentius perlegerem. Imo Hujus memoriam , quantum poterat, ibat deletum ; ut ne quidem in ſolennibus Cœnis vinum, in ejus recordaionem, guſtare mihi licuerit.

Scilicet hoc erat , *Uni Te Viro deſpondere , Teque caſtam ad ipſum adducere Virginem.* An vero nunquam ſubiit , Eum de perfidia , quam in Dominum ſuum committat , ſubmonere ? Roph. 2. Cor.XI.

Sæpiuſcule quidem. Verum Ille ſolebat reſpondere , nihil à ſe mali patrari poſſe ; duo cum idem faciunt , idem non eſſe ; aliam eſſe rationem Hominum *Mundanorum* ſive *ſecularium* , *che non hanno autorita di maneggiar le coſe ſacre.* Sona.

Memini idem reſponſum nuper ſorori *Marinæ* datum, a *P. Franceſco nel parlatoria delle Monache feneſtra* 2. Sed quid ad hæc ſorores Tuæ , earumque Pædagogi ? nunquid iſtam tecum familiaritatem perceptamque inde voluptatem Ipſi invidebant ? Roph.

Imo maxime. Cumprimis *Zybantinus* , qui ſtabilito apud ſe Tutoris domicilio, magnam quoque ſibi autoritatem conciliarat. Sed variis artibus, quas nimis longum foret enarrare, prævaluimus tandem ; idque imprimis beneficio multarum litium & graviſſimorum malorum,quibus adeo impliciti,vexati,& turbati fuerunt Tutores noſtri (primo enim demortuo plures habuimus) ut Ipſis neque otium, neque animus eſſet noſtra negotia curandi , neque etiam vires continendi nos in officio. Imo eouſque deventum , ut Pædagogus meus, obtentu mandati à Patre miſſi, in ipſos Tutores ſummum quæſiverit imperium ; neque minus ſibi poteſtatis aſſeruerit quam Ipſe Pater aut à Patre mihi datus ſponſus. Sona.

An nullæ vero inde obortæ ſunt querelæ ? Roph.

Multæ quidem. Quin & ſæpius Pater Delegatos miſit, qui Amaſii mei inſolentiam reprimerent, atque caſtigarent. Verum Hic eos vel muneribus ſuis corrupit, vel ſi corrumpere non potuit,reos peregit, quaſi impoſtores, ac Perduelles,eaque Juris ſpecie diris ſuppliciis cruciatos è medio ſuſtulit. Sona.

Sed an iſta latere diu poſſint? Roph.

Sona. Nequaquam sane. Jamdudum enim nuncium accepi de Sponsi adventu, qui omnia sit cogniturus, & judicia exerciturus quam seuerissima. *Paulum Secretarium* Ejus *incognito* jam advenisse, & in meos & Pædagogi vitam curiosissime inquisivisse, ex *Pallavicini* nostri relatione cognovi.

Roph. Quin Medicos igitur advocas in tempore.

Sona. Sane jam multi adfuerunt, & sponte quidem sua: Frustra omnes; cum & Ipsi omnes de medendi ratione inter se dissideant. [*Colvinus.*] *Vsinulca* & *Rethulus curam per* [*Lutherus.*] *hydrargyrum* suscipi, *emetica* ac *sudorifera* adhibere præceperunt, quibus, quicquid a multo tempore recepissem, evomerem, atque exudarem. [*Erasmus.*] *Sarmeus* & [*Cassander.*] *Crendaſſa* methodum istam periculosam nimis & violentam esse arbitrati, mitiorem viam ineundam esse dixerunt, sed quam Ipsi nescierunt definire. Alii alia præscribunt, & quot capita tot sensus. Sunt qui putant, quodvis validum remedium cum præsenti mortis periculo fore conjunctum; adeoque consultius esse nihil movere. Collegium vero Medicorum, quod nuper Pædagogus meus in urbe [*Tridento.*] *Mentirdut* conscripsit, præter omnium opinionem uno ore me pronunciavit puram, & integerrimæ valetudinis, eosque omnes decrevit *Injuriarum actione* teneri, quicunque ausint dicere meretricia me lue corruptam esse. Quod quamvis ab omnibus credi velim, Tibi nihilominus fateor, me ipsam non credere. Existimo tamen venenum in veteratis *fistulis atque ulceribus meis sicca quadam duritie ita esse constrictum, atque sopitum,* [Fallop.] *ut licet quis mecum consuescat, non inde a me metuendum sit lethale contagium.*

R.ph. Id quidem ais, ne Amasios absterreas. Verum quid sponsus, ubi ista omnia resciverit?

Son. Rescivit jam omnia, & jamdudum de *Divortio* cogitavit, actionem apud Patrem instituit. Quæ in ea causa peracta sint, libello hoc comprehensa, jam ante aliquot dies Pallavicinus mecum commnnicavit; & si quæ alia agitentur me inscia, per *animam* suam se mihi mature significaturum promisit.

Paucula cum pace Tua legam. INSCRIPTIO: *L'eterno verbo responde al Padre & significa in universale*

niverſale le cagioni de ſuo diſguſti con la ſua ſpoſa, e fa inſtanza di Divortio contali concetti. Il.

Quin libellum Tecum aufer ac domi perlege, *Son*. ea tamen conditione ut mihi reſtituas, neque cuiquam alteri.

Intelligo. Sic igitur, quantum potes, vale, dum *Reyb*. rediero.

JANI

JANI ALEXANDRI FERRARII

Cœnobitæ Augustiniani
Epistola Sexta,

AD

Reverendissimos Fratres

ADRIANUM & PETRUM
DE WALENBURCH

VIRI REVERENDISSIMI.



ST sane quod dixistis: Dialogus ex Italia nuper missus, & quem ultimis meis literis vobiscum communicavi, Ecclesiæ Romanæ inaginem continet: Quis *Visnulca* sit, vel Pueris ex *Argenide* notum; quis *Rethulus*, *Sarmeus*, *Ressandac*, literarum transpositio docet, *Valentia Roma* est, *Mentirdut*, *Tridentum*. Pedagogi Episcopos, Tutores Cæsarem & Reges notant. Ita omnia plana. Quod vero Nonnullis minus videtur conveniens, quod ex *Petronio*, *Aretino*, *Miletio*, quam ex sacris scriptoribus, aut gravioribus Historicis dicendi rationem depromserint Collocutores, id Desiderius Noster nihil pensi habet. Ait enim, quemadmodum sanctarum Mentium familiarior cum Deo consuetudo, à sapientissimo Hebræorum, amatorio stylo expressa esse creditur; ita *animorum à Prima Veritate*, ac *summo Bono alienationem*, obscœnæ dictionis schemate ceu adulterium, repræsentari. Atque eum in finem ex Codice, quem Omnes sacrum habemus, tum *Ezechielis* orationem Cap. XVI. & XXIII. tum ipsum *Hoseæ* factum laudat. Utut autem illud se habeat, omnino Vobis assentior, Dialogi Auctorem Hæreticum esse, Romanæ nostræ Ecclesiæ hostem infensissimum. Quo diligentius credo esse laborandum, ut cœptæ nobis

bis demonstrationes maturius pertexantur, fideique Catholicæ fundamenta ab omnibus eo conspiciantur apertius. Prioribus igitur jam accedit

PROPOSITIO VIII.

Religio, quam Christianam vocant, prout à Christi Apostolis primum tradita fuit, ex se & principiorum suorum natura ad salutem est ineptissima; unde constat, Primos illos Evangelii Præcones, ab ipso Catholicæ Doctrinæ fundamento, totiusque fidei scopo, enormiter aberrâsse.

EXPLICATIO.

Annus jam agitur supra millesimum sexcentesimum sexagesimus septimus (si incerto Romani cujusdam Abbatis calculo credamus) ex quo, in Judæa, de regia, sed pauperrima, stirpe prognatus fuit *Jesus* quidam, cognomento *Christus*. Is & vitæ suæ sanctitate, & miraculis quibus claruit, & aliis illustribus documentis, se non Hominem solum, sed ipsum Deum esse commonstravit: Unde & deorum Altissimo se dixit *æqualem*, neque *rapinam æstimavit supremi instar Numinis se gerere*. Florebant, in orbe Romano, ea tempestate, duo potissimum religionis genera: quarum alteram colebant *Judæi*, alteram, quos vocant, *Gentiles*. Illa à Rerum Conditore præscripta, multisque prodigiis confirmata, non nisi unum agnoscebat Deum; de cætero, ingenti ceremoniarum mole laborabat; neque tam rationis ductu Populum movebat, quam Legislatoris continebat auctoritate. Hæc vero, proprio Hominum excogitata ingenio, prout varia sunt Variorum figmenta, diversissimas, imo & adversas divini cultus rationes comprehendebat; quæ Omnes tamen in eo conspirabant, quod multos Deos colendos esse præciperent, neque se invicem damnarent; unde & ipsa religio, licet varia

&

& multiplex, non minus tamen unica & simplex esse censebatur. Et Judeorum igitur operosos ritus, & Gentilium idololatriam delevit sapientissimus Jesus, omnemque religionem ad prima rectæ rationis principia, simplicemque ingenuitatem, reduxit. Unum solum addidit, ac re ipsa exhibuit mysterium, de singulari Numinis propitiatione atque placamento, quod per ipsum Numinis supplicium, mortemque, peragendum esset. Quæ doctrina ex secretissimis cœlorũ adytis deprompta, atque omnibus retro seculis Mortalium generi inaudita, stupendam Dei tum sapientiam, tum Beneficentiam, tum rigidam immotæ æternæque justitiæ observantiam, mirifice illustrabat; unde necessum erat, in Hominum mentibus divina graria imbutis, & Numinis admirationem, & reverentiam, & amorem, & obsequium, & gratitudinis cultũm oboriri, atque confirmari. Quibus rebus universa religionis tum scientia, tum usus absolvitur. Crudeli autem fato defunctus, sed ex eodem iterum eluctatus, patriasque sedes repetiturus Christus, saluratem (quam Judæis potissimum exposuerat) doctrinam, ulterius propagandam, & in omnes terrarum Gentes diffundendam, credidit quibusdam cognatis suis & Popularibus, Viris simplicibus, & ex plebis fece. Hi cum & obscuro loco essent nati, & inter salsamentarias sordes educati, & iniquiori sorte premerentur, animo dejecto, & magnarum rerum incapace; nihil nisi humile sapiebant. Magnifica tamen audiverant promissa à Magistro suo, quem Divinum omninò Virum, adeoque minime vanum, minimeque mendacem esse, habebant persuasissimum. Unde, cum viderent ad ampliores fortunas aditum sibi non patere, (utpore quem ipsi suâ sibi μικϱολογία, atque animi abjectione intercluserant) seque, licet amplissimam Dei nomine legationem obirent, passim tamen contumeliosè haberi, gravissimisque injuriis manere obnoxios; spes suas in aliud seculum referebant, & quæ ipsis impræsens denegabantur, iis post fata olim se fruituros esse somniabant, non secus ac

Nuper, Marpeio quæ sedit culmine, cornix,
est bene, non potuit dicere, dixit, *Erit.*

Atque

Atque isto errore, anticipatione veluti quadam, imbuti, nihil recte intelligebant eorum, quæ sive Veterum oraculis predicta accipiebant, sive à Magistro audiebant promissa. Nihil illi intempestiviùs importuniúsque commendabant, quam patientiam, tolerantiam, abstinentiam à voluptatibus, humilitatem, animique moderationem, tum *crucis*, quam vocant, *susceptionem*, & *carnis crucifixionem*, & sui ipsius abnegationem, & mundi contemptum, & divitiarum neglectum; verbo dicam, genii perfraudationem, humanæque ejurationem Naturæ. Imo docebant gaudium ex miseria captandum, & calamitates in jactantiæ materiem converti debere. Inculcabant præterea, Regibus ac Principibus obsequia præstanda; neque, obtentu religionis, aut sacri Ordinis privilegio, Magistratibus obnitendum, & in constitutas à Numine Potestates dominandum esse. Ita illi animos frangebant, & ab Honorum, Divitiarum, ac Potentiæ studio avocabant; presentem Hominis felicitatem in solo Pietatis cultu, atque Numinis amore constituentes. Hinc, quæ de Ecclesiæ Majestate ac splendore didicerant, ea omnia ad spiritualem quandam præstantiam, & internum animi decus referebant. Unde factum, ut, ab omnibus iis qui in præsens sapiunt, contemptui ac ludibrio habiti, quin & pœnis castigati, & suppliciis coerciti fuerint; de quo ipso, tanquam de singulari aliquo bono, solebant gloriari.

Diceres, quod Judæis attribuit Paulus, *velamen cordi ipsorum* impositum fuisse, quando Mosen, aliosve Veteres Prophetas legebant; usque adeo non assequebantur temporalem prærogativam, & externa privilegia Ecclesiæ, cujus debebant esse Architecti ac Proceres.

Equidem sub ipsum Codicis sui initium diserte scripserat summus Hebræorum Vates, *condidisse Deum duo luminaria magna, alterum quod diei, alterum quod nocti præesset.* Quæ verba aperte ostendebant, Ecclesiæ dominium, longe majus splendidiusque futurum esse Imperatoria Majestate. Ita enim *Innocentius* III. *ad Illustriss Constantinopolitanum Imperatorem*; *Nosse debueras*, inquit, *quod fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cœli, luminare majus ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti, utrumque magnum,* c. 6. *Solicitæ. de Major. & obed.*

magnum, sed alterum majus. Ad firmamentum igitur cœli, hoc est, Universalis Ecclesiæ, fecit deus duo magna luminaria, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis anctoritas, & Regalis potestas. Sed illa quæ præest diebus, id est, spiritualibus, major est; quæ vero carnalibus, minor; ut quanto est inter solem & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur. Subdit Pontifex; *Etsi non increpando ista ad Imperatorem scripserit, potuisse tamen rationabiliter Ipsum increpare.* Tanto magis igitur increpandi estis, o Vos Apostoli! quanto in explicandis oraculis plus sapere debebatis, quam *mandanus* aliquis Regulus, aut Princeps Byzantinus. Nam quod Canonici Juris Glossator addit, *cum terra sit septies major Luna, sol autem octies sit major terra, consequi, quod Pontificalis dignitas, quinquagies major sit dignitate regali;* id, inquam, Vos latuisse non miror, neque adeo Vos incuso, cum profecto observatio ista ex novis ac plane singularibus principiis, nec nisi subtilissimæ, Vobis ignoratæ, Logisticæ auxilio, potuerit diduci.

Exhibet idem Moses accuratissimam, in *Melchisedeco*, Regalis Pontificatus imaginem; quæ Petri, ac Pauli, successorumque Majestatem præfigurabat. Hanc tamen neque Petrus intellexit, nec Paulus. Nam & ille dignitatem, quam soli ipsi vindicatam oportuit, omnibus Christi anis communem esse dixit; &, cùm suum in universos Mortales imperium asserrere inde debuisset, contrarium plane collegit; *Subjectos* nimirum *esse debere Clericos cuivis humanæ ordinationi, sive Regi ut supereminenti, sive Præsidibus, ut qui ab eo mittantur.* (1-Pet. 2. 9. 14.) Hic vero, ad Hebræos epistola; de Melchisedeci quidem sacerdotio operose multa, sed alienissima disputavit; cum id unum exponere debuisset, *se, successoresque suos, Melchisedeci portotypon esse.* Est enim sane Pontifex, ut *Patriarchatu Abraham*, ita *ordine Melchisedec*; Ipsumque Deus *constituit sacredotem Regalem, & utroque gladio, tum politico, tum spirituali, armavit. Secus enim si foret, Christus legislator esset dimitus, & non sicut Melchisedecus, qui Rex fuit & sacerdos simul.* (camp, do M. A. c. 5.)

Atque eandem ignorantiam suam Paulus tum alibi passim,

passim, tum *epistolæ ad Rom. Capite* IX. apertius prodit, Cum enim, teste *Brevingio*, *Esavus* & *Jacobus* Hæreticorum & Catholicorum typi fuerunt; atque ille quidem Lutheranos & calvinistas afflictam pauperemque vitam ducturos; hic vero, Catholicos omni opum & deliciarum genere abundaturos esse, exemplo suo portenderint; Paulus, his omnibus, quæ ad rem tamen unice faciebant, omissis, utriusque historiam explicavit, de Hominum æterna pernicie, sive salute, quæ post exutam demum mortalitatem obtingat. De quo eo difficiliùs potest excusari, quo facilius vel ex Gabrielis ad Mariam alloquio (quod procul dubio aliquoties diebus singulis recitabat) poterat didicisse, *Pontificem nostrum regnaturum in domo Jacob in æternum*: id est, & ipsum, & omnes Ipsi addictos Clericos, opime & splendide in his terris esse victuros, ut iterum argute divinavit ille, quem supra laudavimus, — *In auctario epist. obsc. vir.* — *Luc. 1. 3.*

lymphata mente sarcedos.

Sed &, eodem menifestissimo errore, *Psalmi Octavi* oraculum ad solum Christum detorquet Paulus; cum tamen diserte legatur, *Deum omnia subjecisse pedibus Ejus*; id est, Petri & Pauli, eorumque in sede Romana successorum. Nimirum ipsis Deus *Subjecit* OVES, *id est, Christianos*: BOVES, *id est, Judæos, & Hæreticos, pecora campi, id est, Brevingium & paganos*: *pisces maris, id est, animas in purgatorio*; *volucres Cæli, id est, animas Beatorum & Angelorum*; ut vaticinabundus ista explicuit *Spiritualissimus Antoninus*. — *1 Cor. xv. Hebr. 11* — *Summa Theol. Part. 3. cap. 5.*

Illud vero omnem admirationem superat, quod rudes illi Apostoli, ne ea quidem assecuti fuerint, quæ *Esaias*, de Romani Pontificis, & Catholicæ, sub illo Ecclesiæ, potentia atque Majestate, adeo diligenter inculcavit: ut si quis cum illo nupero Archi-Hæretico *Coccejo* omnia in spiritualem sensum transfundere velit, fateri cogatur, ea explicari aliter non posse, quam *Illustrissimus Claravallentium Comes* non ita dudum explicuit. Ex cujus interpretatione, *Ambulabunt Gentes*, inquit Propheta alloquens Ecclesiam Romanam, *ambulabunt in lumine Tuo, & Reges in splendore ortus Tui Tunc videbis & miraberis, & lætaberis, quando divitiæ maris, & omnium Gentium substantia, ad Te per-* — *Scioppius in ep. ad Nobil. Germ. de splendore & divit. Ecclesiast. Ingulst. 40. 1605.*

venerint. Filii peregrinorum ædificabunt templa Tua,
& Reges eorum Tibi ministrabunt. Portæ noctes dies-
que erunt apertæ, ut gentium omnium nationumque
divitiæ Tibi offerantur, earumque adducantur Reges.
Quodcunque enim regnum Tibi non servierit, peribit.
Ethenicorum imperatorum, qui te oppresserant, succes-
sores, vestigia pedum Tuorum adorabunt. Ponam Te in
superbiam seculorum; id est, in secularem pompam &
splendorem; & suges lac gentium, (*Chald.* Satiaberis
Populorum divitiis) *& mammilla Regum lactaberis*
(LXX. *Interp. divitias Regum devorabis;*) *Pro ære*
afferam aurum, & pro ferro argentum, & pro lignis æs,
& pro lapidibus ferrum. Ita ille *Cap.* LX. Quæ ipsa
tamen (prout Interpres ea vertit) clarissima verba, am-
bigua reddit, imo aliorsum trahit, & ad trimphantem
Apoc. XXI. Ecclesiam pessime applicat *Johannes*, qui, quemadmo-
dum ex innata quadam μικροψυχίᾳ, oblatos sibi ab
cap. XLIX. Angelo honores respuit, ita proculdubio neque hoc
capere potuit; neque illud, quod de summis Collegæ
sui Petri honoribus ab *Esaia* alibi fuerat prædictum;
Reges scilicet, & reginæ demisso in terram vultu Te ado-
rabunt, & pulverem pedum tuorum lingent. Quod
non in Petro quidem, utpote honorum istorum incapa-
ce, in Successoribus tamen feliciter completum vide-
mus.

Enimvero inertes isti Piscatores, si vel ad vitæ suæ ge-
nus aliquantulum attendissent, intelligere poterant,
quænam Ipsis captandæ essent fortunæ. Quid enim
evidentius dici poterat eo quod apud *Habacucum* lege-
cap. I. rant? *Facies Homines, ut Piscatores maris, ut reptile*
quod Principem non habet. Quantum illorum est, edu-
cet hamo, & anferet illud everriculo suo. Idcirco lætatur
& gaudet, Idcirco sacrificat sagenæ suæ, & suffitus facit
everriculo suo, quia per illa pinguis est portio Ejus, &
cibus Ejus opimus. Hæc autem de piscatione per ha-
mum prædicationis Evangelicæ esse intelligenda, tum
parabola Eos docebat, quam ex Christi ore exceperant;
tum promissio facta Petro, *Hominum te faciam Piscato-*
rem, id est, Interprete *Reginaldo Polo, Tu successoresque*
que Tui dominationem habebitis in omnes homines, do-
minandi Regibus, & Imperatoribus imperandi, re-

gulandi,

gulandi, & ejiciendi : non hominum tantum, sed pecuniarum etiam piscationem Ipsis concessit Christus. Idemque secularibus omne jus ademit in Clericorum lacubus piscandi, *Reges terræ*, inquit ille ad Petrum, *à quibus accipiunt tributa? Non certe à nobis, sumus Filii, adeoque* LIBERI. *Sed proficiscere ad mare, mitte hamum, & eum piscem qui ascenderit primus,* Matth. XVII.

Tros Rutulusve fuat, nullo discrimine habetor,

Tu tolle, & aperto ore Ejus invenies STATEREM, *accipe eum.* Certe,

nisi tunc Petri mens læva fuisset,

Non poterat non ex istis verbis intellexisse, quantum piscandi jus in se esset collatum. Verùm, licet ille ferociores interdum animos gesserit, fatendum est, justo timidiorem, adeoque rebus magnis moliendis, aut sustinendis, fuisse imparem. Quod si enim Ipsum omnesque Ejus consortes pavor incessit, cum solito plures pisciculos, quales Genezarethi lacus nutriebat, aliquando cepissent, quantá obsecro formidine trepidassent, si retibus suis ingentes balænas, & viva hominum corpora vidissent involuta? Ex qua meticulositate etiam accidisse credo, quod cum *terræ quadrupedia, feræ, reptilia & volucres in vase quodam de Cœlo Ipsi offerrentur*, bisque & *ter juberetur, ut mactaret ea atque comederet*; hæsitaverit tamen, neque tangere fuerit ausus: unde *& vas denuo in cælum fuit receptum.* Constat autem Eminentissimo *Baronio* interprete, Deum ista visione, veluti investituræ cujusdam ritu, Petro voluisse conferre summam potestatem, quoscunque homines pro lubitu mactandi: quod ille supremæ Majestati proprium, pro piscatoria sua simplicitate, ita tum neglexit, ut periculum fuerit ne plane interiret: nisi in usum à successoribus revocatum, & inter alios *Paulo* (non certe illo Tharsensi Idiota sed) *Quinto*, licet intempestivius, ac proinde non nihil infelicius fuisset assertum. Inde igitur Petrus ad, nescio quam, spiritualem capturam sese accinxit mysticos pisces in aere venaturus, eosque sagenæ invisibilis cujusdam, cælorum regni inclusurus, cum tamen piscaturam in aquis debebat exercuisse, iisque & latis & profundis. Nam *in magnis aquis magni capiuntur pisces*; ut est in proverbio. *Aquæ au-*

Luc. V.

Act. X.

In voto ad Paul. V. contra Remp. Venet.

Apoc. xvii. *tem sunt Populi & turbæ & gentes & linguæ.* Quare etiam à Christo jussus erat ducere *in altum, ibique retia expandere;* hoc est, *ascendere Romam, quæ altum habet dominium super gentes, & unde per omnes terrarum nationes retia in capturam laxari possunt;* ut recte *Innocentius* III. Luc. v.

Serm. 2. in fest. Petr. Quod siquis dixerit, laudata nobis hactenus Veterum oracula, & Christi Promissa, non nudis atque simplicibus, sed figuratis verbis fuisse enunciata; unde non mirū, quod Apostolis non ita accurate intellecta fuerint; is cogitet & Petri Ipsius dictum, *Ecce duo Gladii!* & Christi tum responsum, *Satis est*, tum mandatum, *Reconde gladium tuum in vaginam.* Quibus quid apertius aut luculentius, pro omni tum spirituali, tum seculari Gladio, Ecclesiasticis Principibus asserendo dici poterat? Quod si enim temporalis gladius ad Petrum nihil pertinuisset, certe Christus, facta duorum gladiorum mentione, debebat dicere, *Nimis* est. At dixit tantum, *satis* esse. Neque Petro jussisset, *Converte gladium* TUUM *in vaginam*, si gladius ille Petri non fuisset, uti sapienter observavit *Bonifacius* VIII. *in extravagantibus.* Ubi Glossa docet distinguendum *inter Gladium vagina vacuum*, & *gladium in vagina reconditum, illum visibilem esse, adeoque materialem; hunc invisibilem, adeoque spiritualem; utrumque vero fuisse Petri.* Siquidem qui gladius meus est *in* vagina, certe idem etiam meus erit ubi *extra* vaginam fuerit. Nihilominus tamen Apostoli contrarium inde videntur collegisse, sibique persuasisse, quod Gladii temporalis usus a Magistro prohibitus Ipsis fuerit. Adeo difficile est sapere, ubi animus semel erroneis principiis est imbutus! c. 1. De major. & obed.

Enimvero fateor nonnunquam Ipsos paulò rectiùs sensisse, cogitationesque suas ad sublimiora convertisse; ut quando Zebedæorum mater cum Filiis suis certum sibi locum, Christo scilicet à dextris & sinistris proximum, atribui peteret: itemq. cum de *Præcedentia* jure inter se disceptarent Apostoli, & quisnam maximus esset disquirerent. Fateor etiam Christum ad istiusmodi petita morosius respondisse, Ipsorumque reprehendisse ambitionem. *Scitis*, inquit *Principes Gentium in eas dominari, & Magnates potestatem exercere in eas, verum non* Matth. xx.

ita erit inter vos. Qui voluerit inter Vos primus esse, sit vester servus. Et iterum; *Qui maximus est inter vos, sit sicuti minimus, & qui reliquos ducit, sit instar illius qui ministrat.* Quibus verbis turbari facile poterant, & in eum errorem induci, quasi vetitum Ipsis esset dominium rerum affectare, & imperium in Imperatores quærere. Verum utcunque illa se habeant, in eo saltem gravissime errarunt Apostoli; quod successoribus suis idem præceperunt, quod sibi erat præceptum; cum tamen Horum longe alia sit ratio. Nam ut rectissime *Severinus de Monzambano* in aureolo suo commentario ad *Lalium* Fratrem; *Postquam recentiorum Fortuna sacerdotum immane quantum à tenuibus Antiquissimorum rebus discessit absurdum fuerit illos amplius adstringere velle obsoletis legibus, super modestia Ejus ordinis Hominum à salvatore promulgatis. Et fortasse ista leges ad prima illa tempora duntaxat debebant valere. Nam id revera ridiculum erat, homines Piscatores aut textores priorem locum affectare, quibus in diem victus, aut labore manuum, aut stipibus collatis, quærebatur.* Quod discrimen cum Apostoli non observaverint, occasionem dedere Hæreticis, &, qui Hæreticis pejores sæpe esse solent, Politicis, ut illa Christi responsa ad nostra etiam secula pertinere putent; qua opinione nihil Ecclesiæ nostræ possit esse perniciosius, aut quod *pias animas magis scandalizet.* Atque hinc factum, ut *Jus* quoque *piscandi*, quod in omnes terrarum, imo & *supercælestes* & *infernales* aquas, Pontifici nostro *de jure Divino* competit, multis in locis sit hodie ipsi prohibitum; neque in Britannico Oceano, aut Codano sinu, aut Lemanno lacu, aut Germaniæ fluviis, tam libere ut olim liceat piscari. Imo metuendum aliquando erat, ne à vicino quoque Hadria prohiberetur; uti Contribulem suum fraterne submonuit *Pisanius di Pizzoni, Pescaor da Buran de Mar*, Vir sane bonus & Patriæ amantissimus. Tantum scilicet illa Apostolorum pusillanimitas, &, de qua gloriari solebant, μωρια, hodienum Ecclesiæ nocet!

De Statu Imp. Germ. cap. 2.

Epist Piscat. Veneti ad Paulum V.

DE

DEMONSTRATIO.

CUM Apoſtoli nihil altum ſpiraverint, nihil ſublime; ſed, fractis dejectiſque animis, nonniſi plebeias virtutes, patientiam ſcilicet, modeſtiam, humilitatem commendaverint; quibus Eccleſiæ non ſalus ſolum impeditur, ſed univerſa ſtructura funditus labefactatur: conſequitur neceſſario, Eos ab Ipſo Catholicæ doctrinæ fundamento, totiuſque fidei ſcopo, enormiter aberraſſe; adeoque religionem quam tradiderunt, ex ſe, & principiorum ſuorum natura, ad ſalutem comparandam eſſe ineptiſſimam. Id quod erat demonſtrandum

Jam igitur noſtrum fuerit, male poſita ab Ipſis principia, vel plane tollere, vel corrigere ſaltem, & ad ſacri Imperii ſtabilimentum accommodare. Cujus rei initium proximis literis faciemus. Vos interim valete, & *Brevingii* valetudinem curate diligenter. Pariſ. Cal. Jun. cIↄIↄcLxvII.

JAN

JANI ALEXANDRI FERRARII,

Cœnobitæ Auguſtiniani, Epiſtola Septima.

Ad

Reverendiſſimos Fratres

ADRIANUM & PETRUM

DE WALENBURCH.

Fratres Reverendiſſimi.



HRISTIANAM Religionem, prout ab Apoſtolis primum dictata fuit, ad ſalutem comparandam, ſive ad Regale Sacerdotium Romæ ſtabiliendum, ex ſe & principiorum ſuorum natura, minime omnium idoneam eſſe, ſuperiori Epiſtola prolixe oſtendimus. Reſtat igitur, ut, quid de ea ſit faciendum, eadem evidentia demonſtremus. Quem in finem ſubjicimus

PROPOSITIOEM IX.

Quamvis Religio Chriſtiana à ſcopo Romanæ noſtræ Eccleſiæ immane quantum abhorreat; minime tamen conſultum videtur, ut ubi Rationibus approbata, Conſuetudine introducta, & principum Auctoritate ſtabilita eſt, aperta ejus ruina, violento molimime, & uno impetu tentetur.

EXPLICATIO,

§. 1. Fuerunt sane qui eam funditus evertendam; & aperte destruendam judicârunt; quandoquidem ab utilissimæ, ac proinde veræ Fidei scopo tantopere aberrat, ut vix liceat sperare, eam, quacunque arte aut industria, ad institutum nostrum inflecti posse. Tum, si maxime huc fuerit accommodata, periculum est, ne aliquando ad pristinam naturam, tristemque illum & sterilem Genium, quem primitus habuit, ex improviso revertatur. Neque vanum hunc metum esse, tum superioris ætatis, tum nostrorum temporum experientia edocuit. Unde enim ad oppugnandam sacræ Monarchiæ nostiæ potentiam, vel plura, vel expeditiora instrumenta deprompserunt Rebelles Hæretici, quam ex ipsis intimis Christianæ Religionis adytis? Quæ si non occlusa tantum, & quodammodo præstructa, sed prorsus deleta fuissent; utique tantam armorum copiam, adversus Ecclesiam Nostram parare sibi nunquam potuissent.

2. Quamvis autem isthæc prudenter à Nonnullis cogitata fuerint; priusquam tamen ipsis assentiamur, contrariam quoque agendi rationem putamus esse examinandam. In istiusmodi enim negotiis, quæ ex omni parte magnis obsidentur difficultatibus, non statim primum obvia via pertinaciter tenenda; verùm omnes explorandæ sunt, ut facta omnium accurata inter se collatione, tutissimam tandem, ac facillimam eligamus.

3. Atque hic cumprimis attendendum, quid Alii ante nos viri Sapientes de his ipsis rebus judicaverint. Hos autem inter est *Muhammed*; Homo, ut eventus docuit, Perspicacissimus; cujus exemplum eo pressius nobis imitandum, quo felicius videtur idem, quod nos, institutum ussisse, & in consimili causa fuisse versatus. Quare enim, ipsi quoque Hæretici, Collegam Pontifici nostro adjungunt, & dum bicipitem, vel bicornem saltem Antichristum statuunt, dextrum quidem cornu Sanctissimo Nostro Patri, sinistrum vero Muhammedi imponunt.

sunt. Hic autem *Muhammed*, cum pro sagacitate sua perspexisset, quantum Religio Christiana ab instituto suo dissideret; utpote quæ Homines à præsenti felicitate abstraheret, eorum animos imbellium virtutum cultu frangeret, atque emolliret, pro bello pacem, pro ferocia mansuetudinem; pro libertate servitutem, preces & lachrymas pro armis commendaret; eam sibi noxiam & perniciosam omnino credidit, neque tamen uno ictu, & vi aperta judicavit demoliendam. Quare inter alia *Islamismi* capita, diserte populo suo mandavit, ut *crederent veritatem Prophetarum & Apostolorum, quique ad Eos demissi sunt librorum; adeoque & profiterentur, Christum, Filium Mariæ Dei esse Spiritum, & Verbum, ejusdemque Apostolum*, & *Evangelium, ac Legem Mosaicam* passim approbavit. Imo his ipsis fundamentis doctrinam suam videri voluit superstruxisse, scripturarumque auctoritate inniti. Hinc & Muhammedani, qua subtilitate nos Pontificem nostrum, illi Prophetam suum in utroque codice reperiunt. In lege quidem *Deut.* XXIII. *comm.* 2. ubi, *Venit Deus à Sina, & ortus est a Seir, & manifestatus est à monte Paran*: quibus scilicet verbis, descensus legis ad Mosen, Evangelii ad Jesum, Corani ad Muhammedem, distincte significatur. Et, teste ipso Propheta, *Abulkasimo Surata* LXXI. *Dixit Jesus, Filius Mariæ : o Filii Israel, ego sum Apostolus Dei ad Vos, ut verificem, quam habetis Legem, & annunciem Apostolum venturum Post me, cui nomen erit Achimed*, id est, *Beidavio* interprete, *Muhammed*. Quod ipsum in Novi Testamenti libris, diserte scriptum extitisse, docet nos Dialogista *Saracenus*, apud *Theodorum Abucaram*, quando ad Christianum ait: *In Evangelio Christus scripsit, dicens; Prophetam Vobis mitto dictum Muhammed*. Cui Christianus; *at Ejus memoriam Evangelium non continet*. Contra Barbarus: *Continuit sane olim, sed vos expunxistis*. Argute, ex capite nimirum XIV. Evangelii Johannis, quod de Paracleto agit; ubi, aversa paginæ parte, in eodem contextu, ego persuasissimum habeo extitisse quoque Prophetiam de Occidentali Paracleto, qui in scrinio Pontificii pectoris resideat. Quod autem ista in nullis exemplaribus

Opusc. 19. *inter Opuscula* xlii. *edita à Gretsero, Ingolst.* 1606.

 aut

aut versionibus hodie leguntur, id factum fraude Hæreticorum, & *in specie* quidem *Calvinistarum*; quos juraverim, jam ante mille sexcentos annos, talia omnia ex scripturis summo studio erasisse. Quare hodienum Turcæ, si quando Novi Testamenti Codex in Arabicam linguam translatus, ipsis offeratur, ut librum Cœlo delapsum, & in quo olim Prophetæ sui mentio exstiterit, summa cum reverentia accipiunt, religiosissimeque deosculantur. Ex quibus omnibus colligimus, Magnum istum, ut novi Principatus, ita & novæ Religionis Architectum, judicasse, Christianæ Fidei schema quoddam, nomenque externum esse ostentandum, eo ipso, dum vim ejus internam penitus exstinctum ibat. Quem in finem, licet magnifice de Scripturis nostris sæpe fuerit locutus, eas tamen legi, aut scrupulosius explicari, ac subtilius disputari vetuit: hoc uno contentus, ut, quod & *Ahmed Ibn Edris* ingenue alicubi profitetur, proposito suo inservirent. Atque hanc ob causam eas amplificavit, supplemento *Corani*, quo, ceu ultimo Prophetici Spiritus dictamine, perfecta salutis principia continerentur.

4. Hanc viam felicissimi Monarchæ, & conjunctissimi Pontifici nostro Collegæ, & in Antichristo Fratres, cur non & Nos sequamur? Nam si ille non nisi crassum quoddam, & corporeum imperium erat exstructurus, & tamen adeo exquisitas artes sibi adhibendas credidit; quanto subtiliori industria nobis opus erit, in condendo mystico nostro, & spiritali regno, ne scilicet cujusquam oculos offendat, antequam fundamenta ejus solide locata, imo tota machinatio firmiter compacta, & in tantam molem educta fuerit, ut Æmulis formidini esse, & suismet viribus inniti possit. Tale imperium cum ex divinarum & humanarum rerum mixtura ita contemperari debeat, ut *spiritaliter corporeum* & *invisibiliter-visibile* existat; necesse est utique ut artes, quibus exstruitur, utrique isti rerum generi conveniant. Ita demum profana sacris, Cœlum terris, vera falsis, feliciter immiscebuntur. Ita templa simul erunt munimenta, monasteria castrorum usum præbebunt, infulæ

in

in coronæ figuram aptabuntur, atque idem baculus, & pastoris pedum erit, & sicarii dolon, & Regis sceptrum. Ille vero, qui his omnibus ad Sacri Imperii stabilimentum utetur, ex utroque existet verus Leviathan, ipso *Hobbiano Leviathane* longe robustior, & formidabilior. Quibus omnibus quid subtilius simul & validius excogitari possit.

5. Nihil igitur nos turbet metus ille armorum, quæ Hæretici ex Apostolica doctrina contra nos possint depromere. Paria enim Muhammedanis erant metuenda, imo astutissimis quibusvis Hæreticis. Nam semper evenire posset, ut Christiana Religio, effervescente veluti quadam fermentatione, sese ipsam à pugnantibus & heterogeneis doctrinis secerneret, easque ejiceret, ad pristinam puritatem, liquidamque simplicitatem sese convertens. Id quod tamen multis jam seculis non accidit, cum Christianismus Muhammedismo immixtus, in eadem fæculenta crasi hodienum subsistat.

6. Dein, si hoc metuamus, Nosque tempestiva formidine permittamus absterreri, nihil unquam commodi ex aliorum erroribus percipiemus. Cum enim Falsum sine mixtura Veri, & Malum sine fundamento Boni, per se subsistere non possint; semper metuendum fuerit, ne Verum & Bonum, à falso & Malo, sese subducant, hæcque destituant.

Veluti nudos in litore pisces.

Ex quo nimium provido timore sequeretur, non nisi Puram Veritatem, & impermixtum Bonum, sectanda, atque Aliis proponenda esse; unde omnis qui ex Falso & Malo ad nos redire posset fructus, periret.

7. Certe

Nil prodest quod non lædere possit idem.

Ita *cibos aspernemur, attulerunt sæpe valetudinis causas; nunquam tecta subeamus; super habitantes aliquando procumbunt. Quis nescit ignes, aquas sine quibus nulla sit vita, &, ne terrenis immorer, Solem, Lunamque, præcipua siderum, aliquando etiam nocere?* Non igitur disputandum, an à Christianæ Religionis reliquiis damnum forte aliquod ad nos possit redire; verùm, *Fab. Instit. Or. l. 2. c. 26.*

verti in plus inde sperandum Boni, quam metuendum Mali. Nos autem & callidissimi Mohammedis exemplo, & evidenti ratione jam ostendimus, si universum Christianismum aperte ejuremus, nihil solidi mansurum esse, cui machinas nostras utcunque superstruamus.

8. His accidit & exemplum & judicium, summi, atque in fabricandis religionibus exercitatissimi Viri *Guilhelmi Postelli* S. R. E. Presbyteri; & qui superiori seculo, exactis per universum prope orbem itineribus, tandem senex centenario major, Parisiis, in cœnobio S. Martini in campis demento Monachi, ex Regia liberalitate gaudebat. Hic in ipsa Parisiorum Lutetia, & publice docuit, & scriptis tradidit, fæminam quandam sibi familiarem, quam ille *Mere Jeanne* nominabat, Mulierum Servatricem esse, eodem meritò quo Christus Masculorum. Quis credat in ipso capite cultissimi & florentissimi regni, in tanta omnium Scientiarum & disciplinarum luce, tanta Sapientissimorum & Eruditissimorum Hominum frequentia, ausurum fuisse, tam pudendas, & prodigiosas nugas exponere, nisi eas cum vera Christi historia conjunxisset? Et quando Amicis, & *Stephano*, qui ista nobis retulit, Venetiis aliquando est confessus, Christianam quidem Religionem sibi displicere, sed eam tamen minime delendam, verum cum Turcica & Judaica esse contemperandam; quid aliud voluit, quam Christum non violentis manibus perimendum, sed specie amicissimi complexus suffocandum esse?

Verdier Tom 2. de la Prosopog. des Hommes Illustres. Apol. pro Herod. Henr. Steph. l. 1. c. 14.

9. Atque hanc eandem agendi rationem commendat longa superiorum temporum experientia: & inde ortum, *Leonis* Sacratissimi Pontificis nostri oraculum; qui Pluti Spiritu agitatus, & ad pecuniæ ex indulgentiis paratæ adspectum veluti in ecstasin raptus, *Hem quantum*, inquit, *nobis profuit fabula de Christo!* Ita Christianismi simulacrum omnino rebus nostris prodesse poterit, modo eo recte sciamus uti. Hoc vero unice dependet à dexteritate & industria Eorum quorum interest. Est enim Religio.

Com

——— *Come il coltel, che se tu'l prendi*
In quella parte, ove per uso humano
La man s adatta, a ch'il adopra e buono:
Ma ch'il prende ove ferre e spesso morte. — *Il Pastor Fido. Act 1. sc 4.*

Ita Fidem Christianam si ea parte adhibeamus, qua primam Simplicitatem & Veritatem nudam exhibet, perimus. Sin, commodis nostris egregie inserviet. Sic enim vere implebitur, quod Beatus *Campanella* dixit: *Opinio, quam Omnes fere Populi de Religione Christiana conceperunt & credunt, permultum valet.* Fac igitur ut credant; Quicquid ad Pontificem nostrum pertinet, id omne ad Christum ipsum pertinere, & à quo Ille offendatur, Hunc offendi: Nunquid videtis, quo majori pompa Christi nomen exponetur, eo magis Pontifici Nostri auctoritatem atque potentiam amplificari? — *De M. H. c. 5.*

10. De *Templariis* referunt Historici, ad exquisitissima supplicia damnatos, quod Christo aperte renunciaverint, fidemque Catholicam sibi præstituerint convellendam. At tamen luculentissimi Scriptores eos horum criminum innocentes testantur. Ita nuper *Mezereus*; *Il n'y a point d' homme de bon sens qui croye que tout l' ordre ait ete coupable des enormites qu' on luy imposoit.* Unde plurimi existimant, non alius flagitii fuisse reos, quam quod Pontificiam Majestatem haud satis religiose observarint. *Quelques uns disent qu' ils n' etoint pas si impies ni si mechans qu' on les fusuit mais qu' iletoient riches, & qu' ils parloient librement & publiquement des vices, des chicaneries & des impostures du siege Romain & contre les vices des Ecclesiastiques.* Verba sunt alterius Scriptoris Galli. Hæc autem etiamsi ita se habeant, minime pugnare credam, modo persuasum mihi sit, Christi causam & causam Romanæ Sedis, unam esse eandemque. Nam nisi hoc firmiter ponamus; fateor me difficulter assequi, quomodo sine extrema invidia, & summæ crudelitatis infamia, adeo immisericorditer haberi potuissent. Jam vero, si illi, qui Papæ illudunt, ipsum æternum Christi Numen ludibrio habere creduntur; *Clemens* minime censendus est inclemens fuisse, quando eos immanissimis tormentis excarnificari, & piatricibus ustulari curavit flammis. Neque enim turbare nos debet, aut sinistram suspicionem mo-

Du Puys dins d' histore des Templiers.

Dans l' Hist. de France.

Girard du Haill. de l' Etat de France. Liver 2.

vere

vere, quod ordinis illius vir Princeps *Moleus* Papam, ut ad Christi tribunal intra quadragesimum diem se sisteret, citavit, qui & ipso die dicto è vita decessit. Nequaquam enim credibile est, summum Pontificem ad istiusmodi Hominis citationem comparuisse, vel, si maxime ad fatalem illum sibi dictum terminum comparere, & Majestatem suam arbitrio Christi sponte submittere voluit; hoc ipso docuit, se rebus suis ne minimum quidem diffidere, ut pote qui Christo facile sit persuasurus, se exurendis Templariis communem causam egisse. Equidem non adeo facile ista distinguuntur. *Le temporel s' allie si subtilement avec le spirituel, & de l' interet de l' homme on sait faire si adroitement la causa de Dieu, & il survient des occasions si melees de ces choses qu' il est malaise d' en faire la separation*; ut recte *Silbonius* noster nuperrime monuit. Crediderim tamen Christum, utut in *Suaresii* Metaphysicis, vel *Castanei* Distinctionibus parum versatus fuerit, discrimen facile deprehendisse.

Dans la preface au Card. de Rich. sur son livre de l' immort. de l' ame.

11. Verum concedamus, à minimis etiam pristinæ Apostolicæ Fidei reliquiis pericula nobis imminere: nondum tamen inde conficitur, eas penitus delendas esse, nisi nobis prius constiterit de probabili propositi hujus successu. Prudentiæ enim est, non solum dispicere quod rebus nostris utile sit atque proficuum, sed &, imprimis quid fieri, possit. Inepti simus, si ea moliamur quibus ipsa rerum conditio repugnat. Ubi igitur Religio Christiana mysteriorum suorum sublimitate, præceptionum sanctitate, miraculorum majestate, prædicationis efficacia, aliisque Divinitatis suæ indiciis se jam Hominum animis insinuavit; ubi longa consuetudine & Parentum Majorumque traditione stabilita, ipsorumque Principum legibus sancita est; adeo ut JESU nomen tanquã tremendum & adorandum habeatur, neque de eo blasphemando sine extremo horrore cogitari possit; nunquid videris, *Fratres Reverendissimi*, quam ibi temerarium, quã arduũ quam periculi plenum, quàm prosperi eventus dubium foret molimen, quod de Christi fide, aperta vi, & uno impetu conquassanda, susciperetur.

12. Ubi vero res integra est, necdum vetus illa Apostolorum doctrina Hominum animis adeo firmiter inse-

se-

sedit; ibi, fateor, aperto velo agi, & libere, ac sine ambagibus, novum rebusque nostris accommodatius Evangelium prædicari, & posse, debere. Quod saluberrimum monitum, cum Hispanorum Apostoli in America olim neglexerint, Sacrum imperium nostrum multa inde damna est passum; ut recte arguit Beatus, jam sæpe nobis laudatus, *Campanella*; qui, ne in posterum in eundem errorem incideremus, Christianas institutiones, tum brevi *Legis Summa*, tum nova *Catechetica methodo* accurate est complexus. *Summa* scilicet, unde & Lex & Prophetæ omnes dependent, conceptis hisce verbis continetur, *Nihil quicquam tam reverenter coram populo hoc, qui Christi nomen antea non audivit, habendum est, quam nomen Papæ; quo firmius ille Religioni nostræ adhæreat, necesseque habeat regulam vitæ temporalis, & modum salutem æternam consequendi, à nobis petere.* Mystagogiæ vero methodum, & veræ *Catecheseos* delineationem, licet illa sit paulo prolixior, tamen ob singularem elegantiam, temperare mihi non possum, quin exscribam non dubitans, Vos quoque, *Fratres Reverendissimi*, eam summa cum voluptate, quamvis alias sæpe legeritis hic denuo relecturos. *Oportebat*, inquit, *docere, missos à Deo fuisse magistros, veluti Moysen & alios; quibus cum mundus parum fidei haberet, Deum ipsum assumsisse carnem humanam, flagrantique nostri amore, naturam nostram induisse ut illo quasi instrumento docere nos possit, qua via nobis ad cœlum gradiendum, utque veritas colenda sit: atque hæc omnia per amicas persuasiones, non armorum violentia. Deinde, quod Deus ipse suo proprio exemplo comprobaverit, ea quæ docuit, atque demonstraverit, quo modo nobis hic super terram conversandum sit, & quod, postquam nos docuit, ne mortis quidem terrore à Deo cultuve divino recedendum nobis esse, ipse primus mortem à crudelibus tyrannis occisus subierit, ut illius vestigiis insistamus quodque tertio die à mortuis resuscitatus, ascenderit in cœlum, relicto in terris suo Vicario, quem Papam vocant, qui in illius tribunali sedet, cœlesti sapientia imbutus, cum*

De M. H. in append.

De M. H. c. 31.

mult

multis fortissimis Principibus, qui veritatem divinam propugnent, inter quos Rex *Hispaniarum primas tenet. Denique Deum, misericordia erga illos motum cùm essent Idololatræ violantes legem naturæ, Hispanos ipsorum fratres miserit, qui illos in veritatis viam ducant & per Papam & Regem Hispaniæ (a quia orbis ille per diluvium separatus sit) ad se pertrahant. Quodque nobis scientiam largitus sit fabricandi naves, marisque & equorum domandorum, quoque modo chartæ vocales faciendæ sint, ut illi hæc omnia intuentes, fidem nobis adhibeant. Quodque nos præter hæc multa alia miracula edere possimus, quæ ipse in hoc mundo edidit qualia sunt, sanare ægrotos, & resuscitare mortuos, si modo sanctissimis illius præceptis obedierimus, & aqua in nomine Dei unius baptizati, & invisibili gratia a peccatis mundati fuerimus. Quodque arma hæc nobis dederit ad sumendam vindictam de omnibus, qui seminationem veritatis impedire conantur. Hoc proœmium in demulcendis illis sumtum oportuit, multosque ex illis qui per physiognomiam idonei visi fuissent, eligere, atque in hac doctrina erudire; posteaque mittere eos, tanquam Samaritanam illam, ad vocandos populares & cives suos omnes, comitate atque mansuetudine, sine crudelitate atque avaritia, Eisque persuadere, aurum nos non plus curare, quam ipsos, quodque illo nos solum utamur ad permutationes rerum, expetamusque id sine omni avaritia; ostendentes, nos, in vicem auri, ferrum, ad illos deportare, quod omni auro utilius est ad excolendam terram, vitamque ipsam protegendam. Quibus omnibus perfectis, magnum numerum illius gentis in navem impositum oportuit, quasi jussu divino, Papæ & Regi Hispaniarum patefacto, in quorum regiones eos exportare, & per colonias Africæ dividere, indeque in Hispaniam transferri oportuit, ut laborarent, terram colerent, atque artes mechanicas exercerent, dum Hispani rei militari operam dant, atque paulatim universam illorum regionem sibi subjiciunt. Sed Hispani qui primo ibi intrârunt, rudes & meri milites fuerunt, nescientes quantum opinio divinitatis in animis hominum valet, ad subjugandos illos.*

Sed

Sed confestim, quasi in propinquorum hostium fines ingressi, cœperunt diripere aurum; palam præ se ferentes, salutem illorum parum sibi curæ esse, minitantesque, nullo præmisso præcepto, ut baptizari se sinant, credantque Christum pro se fuisse crucifixum. Quæ res, primo sane intuitu, absurdissimæ sunt, nimirum quod aqua quenquam in cælum perducere, & quod Deus mori possit, statimque ab initio offendiculo omnibus fuerunt ut, loquitur Apostolus Paulus. non observantes canonem Apostolicum, Prædicate hominibus.

13. Talem Christianæ Catecheseos methodum, jam nostris temporibus in extimis Asiæ Provinciis observarunt Ignatianæ fidei Propagatores solertissimi. Hi enim, cum animadverterent, ipsas illas, licet exiguas, quæ in Europa permanserunt, Apostolicæ doctrinæ reliquias, etiamnum nescio quid continere horridum & durum; & quod, ut olim, stultitia Gentibus videatur, Judæisque sit scandalo; non Christum docuere crucifixum, quem unicum tamen Paulus se scire professus est, sed alium, formosum, magnificum. Chinensi habitu indutum, qui mira cum magnificentia aliquando de cœlo in Europam descenderit, & Pontificis Nostri prædicaverit regnum. *Nihil ille de Christo crucifixo, nihil de mortificatione, nihil de jejunio, nihil de pœnitentia, nihil de Eucharistia semel quotannis recipienda. Quod si Chinenses illos Ecclesia vellet iterum docere, & veris fidei regulis instruere, se deceptos esse clamarent, & repugnarent, non enim jejunantem religionem; non fidem pœnitentem, plorantem, Naturæ horridam, carni inimicam, crucifixioni, morti, & periculis destinatam, non Servatorem crucifixum, sibi a Magistris suis Jesuitis expositum esse. Non se Hominem Deum flagellatum, consputum, contemtum, vulneribus confossum, in cruce pendentem, & mortuum amplexos esse protestarentur, sed Servatorem solummodo pulchrum, gloriosum, formosum (sicut ipsum Chinensium habitu depingunt Jesuitæ) & legem vitamque suavem, lætam, lenem, placidam, tranquillam.*

Palafox, in Epist. ad Innoc. X. Pontif. 8. Jan. 1649. quam etiam habes. in Diaria de M. de St. Amour Doctoris Sorbon. pag. 11. allegatorum.

14. E-

14. Enimvero novam iſtam methodum non nulli improbarunt, atque inter Eos magnas ſuper hac re turbas excitavit *Joh. Palafox de Mendoza Angelopolitanus in America Epiſcopus, & Concilii Indiarum Decanus*, homo ſimplicior & rudior, quam qui artes iſtas intellexerit. Hic forte ſibi imaginatus eſt *Anathema*, quod Paulus aliquando *vel angelo aliud Evangelium prædicanti* dixit, hodie adhuc, & quidem apud Indos etiam valere; neque recte eſt interpretatus illud alterum ejuſdem Pauli; *Modo prædicetur Chriſtus*; hoc eſt, modo Chriſti nomen retineatur. Quibus erroribus inductus, moroſus ille ſenex, iſtam Jeſuitarum Catecheſin publice damnavit, unde non mirum quod de ſede ſua Epiſcopali deturbatus, urbe ejectus, & ab Ignatianis Sodalibus ſolenni ludibrio habitus fuerit, crucis ſigno taurinis cornibus ſuper ipſum formato, & decantata λιτανεία, *Ab Epiſcopo Palafox libera nos Domine*, ut ipſe quidem in iiſdem literis lamentabiliter conqueritur. Certe dignus erat qui cum ſimplici ſua & antiqua pietate exagitaretur, juberetur que foras ire, & ibi æternum plorare, & ſtrenue, quantum lubuit, jejunium exercere.

Gal. 1. 8.

15. Importunis quidem Epiſcopi Illius, & conſimilium imprudentium Hominum delationibus & querelis, Multi Viri Boni & Simplices per Europam offenſi fuero. Quibus ut quodammodo ſatisfieret, Pontifex forte etiam juſto meticuloſior, methodi iſtius publicationem ſacro edicto repreſſit, cujus *prohibitionis* inſtrumentum nuper nobis retulit *Hurtado* Theologus Hiſpanus. Verum cenſura iſta nequaquam eo interpretanda, quaſi ad Chriſtianos, qui trans lineam Æquinoctialem, & ultra Gangem habitant, pertineat, cum tantum facta ſit in gratiam Eorum, qui aliquas Veteris Chriſtianiſmi reliquias, in Europa, etiamnum tenent, uti præter alios, integro & ſolido volumine edocuit Celeberrimus *Didacus de Moralez. Jeſuita, Rector Collegii Sancti Joſephi in urbe Manilia*, quæ Metropolitana eſt *Philippinarum*.

Thomas Hurt. in Opuſc. Colon. ed. a. 1655.

16. Quæ cum ita ſint, tutiſſimum credo eandem viam inire, quam olim tenuerunt Imperatores, cum Remp. Romanam in dominium eſſent converſuri. Ut enim illi

li simulacra quædam Libertatis pristinæ reliquerunt, ipsa Libertate funditus sublata, ita etiam juvabit imaginem quandam Christi ostentare, Christo ipso sensim abolito. Ut hac ratione observemus istuc religiosissimi *Macchiavelli* monitum: *Qui Reip. formam vult innovare, in id incumbat necesse est, ut rerum quæ antea fuerunt, umbram aliquam retineat. Sic enim efficietur, ut plebs non putet quicquam esse mutatum, quamvis omnia re ipsa sint innovata. Nam Populus non solet res profundius intueri, sed quæ videntur, & foris ita apparent, eas perinde ac si ita sint, accipit. Quamvis Magistratus plane novi creentur, planeque nova munera Hominibus imponantur; sunt tamen eadem retinenda nomina, ut putentur esse eadem.* Hinc evidens colligitur

CONCLVSIO.

CUM rerum apud Nos status non permittat, ut Christus aperta violentia è medio tollatur; consultum est eum lenta tabe confici, &, simul dum contabescit, artibus Babyloniis, vel Ægyptiacis, Mumiæ instar ita condiri, incrustari, & pingi, ut vivi & succulenti corporis imagine, Hebetioribus imponat. Artes autem istas ut rite assequi & particulatim explicare possim, illum, qui in scrinio pectoris Pontificis Nostri residet, Spiritum suppliciter rogo, ductu suo & afflatu me ulterius ne dediguetur. Vosque adeo etiam, *Viri Reverendissimi*, me precibus Vestris atque intercessione apud ipsum juvate. Dabam è Bibliotheca Conventûs majoris. Cal. Decembr. cIↄ Iↄ cLxvII.

FINIS.

Qua

Quæ in hoc libello occurrunt Italica (Gallicis omissis ut intellectu facilioribus) Latinè sic sonant.

Epist. 2. p.9. *Ad statuendum, cum quibus armis contra* Hæreticos *pugnare oporteat & in quâ basi fidem collocare debeant* Catholici.

Epist. 3. p. 27. Nepotismus Romanus part. 1. lib. 1. Roma *nata videtur ut universo terrarum orbi dominari possit, quod meritò dici potest, quando eidem dominata est, & etiamnum dominetur. Verum quo tempore* Roma *fuit* Respublica, *sicut itidem quo tempore Romæ fuerunt* Imperatores, *Roma nunquam* conscientiis *vim afferre postulavit, nec* animas *hominum unquam exigebat tantum vectigal Vaticano pendere. — — Pontifices ex contrario quod est* Spirituale & Temporale *inter se confundunt, duabus his potestatibus in unum corpus conflatis, attendentes verò Spirituali magis quam Temporali, tum* Principes *tum* Populos *adeo accuratam ipsis obedientiam præstare subigunt, ut sola ipsius rei memoria cogitantis animo horrorem incutiat. Id ipsum quod Pontifices* Paradisi *portas suo arbitratu claudant, quod* Inferorum *pro libitu aperiant, populos obsequii suis* Principibus *debiti oblivisci cogant, & ipsorum pedibus se supplices advolvere.* Resp. *illa, quæ orbem Terrarum consiliis frænavit,* Imperatores *Romani qui eundem armis domuerunt,* Tyranni *qui eum quoque vi subegerunt, nunquam ita altùm penetrarunt, nec gentes tam profundâ religione sibi obstringere norunt, quàm hodie subjugatas tenent Pontifices.*

Epist. 5. p.46. *Quam unus ex his sacrificulis Missam Primitiam vendat, proscribens per unamquamque urbem se eam cantaturum.*

Ibid. p.47.49. *Quæ multoties eodem tempore maluit duos* reges, *quàm unum solum* equitem *pati.*

Ibid. p. 50. 51. *Quos penes non est jus res Sacras administrandi.*

In conclavi Monialium. *Fenestra.* 2.

Epist. 7. p.69. *Æternum* Verbum *Patri respondet, & causas generatim indicat, cur à* Sponsa *dissideat, & supplicat, ut* Divortium *ipsi decernatur hunc in modum.*

—— Instar cultelli, quem si tollas
Quâ parte usibus humanis
Capulus adaptatur, tractanti utilis est.
Sin quâ parte ferreus est, plane est mortifer.